BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
8 M
26

M

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

12-8-11-26

12.8 M.26 I

DE AEGROTANTIVM OPTIMO ASSISTENTE,

EIVSQ. OFFICIO IN SINGVLIS MORBIS, LIBRI III.

Bartholomaeo Vicario, Medico, Auctore.

Opus omnibus, & Medicis præſertim, maxime neceſſarium.

Cum Indice Capitum, & rerum omnium locupletiſſimo.



SVPERIORVM PERMISSV

ROMAE,

APVD GEORGIVM FERRARIVM,


M. D. XCI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DE
AEGROTANTIVM
OPTIMO
ASSISTENTE.
EIVSQ. OFFICIO IN SINGVLIS MORBIS,
LIBRI III.
Bartholomaeo Vicario, Medico, Auctore.

Opus omnibus, & Medicis praeſertim maxime neceſſarium.

Cum Indice Capitum, & rerum maxime locupletiſſimo.



SVPERIORVM PERMISSV

ROMAE,
Apud Georgium Ferrarium,
M. D. XCI.

ILLVSTRISSIMIS, ET REVERENDISSIMIS DD. SCIPIONI GONZAGAE, ET HIERONYMO MATTHÆIO,

S. R. E. Cardinalibus Ampliſſimis.

Bartholmæus Vicarius, Medicus S.

QVotieſcumque veſtra in me collata beneficia, memoria repeto, ita me vobis debere intelligo, vt non dicam iis ſatisfacere, ſed nec etiam animo valeam eorum magnitudinem concipere. Etenim, cum vterque veſtrum ſingulari humanitate in veſtram me tutelam, patrociniumq. receperit, tanto me a vobis in beneficiis conferendis ſuperari, quanto in iis recolendis, compenſandisq. ſentio eſſe imbecilliorem. Quid enim à Principibus viris, & in ſumma dignitate conſtitutis, homini nouo maius fieri poterat, quam inter ſuos familiares adſcribere, eumque quotidie nouis ſtudiis, beneficiisque ornare? Quare veſtrorum meritorum magnitudo

multo maiora à me expoſtulare videbatur. Verum, cum nec eorum exiguæ parti, pro mearum virium imbecillitate, reſpondere poſsim, vt ingrati animi vitium ſaltem effugerem, has meas vigilias, quæcumque ſint, meq. ipſum, ampliſſimo vtriuſq. veſtrum nomini conſecraui. Nam in publicis hoſpitiis, priuatisq. domibus, medendo occupatus, in tot moleſtias, animiq. curas, quorundam hominum perfidia, & improbitate, incidi, vt vitam in poſterum mihi acerbiſsimam fore arbitrarer. Sed, cum a natura nobis inditum, impreſſumq. ſit, vt, ſi quando morbo, aliquo afficiamur, ei ſtatim opportunis præſidiis ſuccurrere ſtudeamus, animum meũ, his curis penitus occupatum, ſi alio conuerterem, ad æquitatem traducere poſſe ſperabam. Quare, cum ad variorum librorum lectionem, tamquam ad animi mei tranquillitatis præſidium, confugiſſem, multaq. tum primorum Medicinæ parentum, rum recentiorum ſcriptorũ monuméta euoluerem, quamuis ab iis omnia, quæ ad morborum curam, hominumq. incolumitatem pertinerent, ſummo ingenio pertractata eſſe intelligerem; vnum adhuc in Medicina deſiderari iudicaui. Nam, cum diuinus ille Hippocrates primo Aphoriſmorum in morbis profligandis Aſſiſtentium induſtriam ſummopere commendarit, & omnis a Medicis, tum cibi exhibitio, rum medicamentorum adminiſtratio Aſſiſtentibus demandetur; operæpretium eſſe videbatur, eos, qui ægrotantibus aſſiſtunt, qua ratione in iis re-

bus

bus adminiſtrandis, exhibendisq. vterentur, informare. Ad id non ſolum, qui ab ægrotantium miniſtris continuo committuntur, errores;ſed etiam religioſorum hominum pro ægris regendis inſtituta ſocietas me maxime cohortabatur. Etenim, cum illi, Diuino tantũ ſpiritu, & religione ducti, in ægrotantium curam incumbant, vt ea, quæ ſumma pietate ægris adminiſtrantur, rationi etiam, artiq. conſentanea, iis magis prodeſſe poſſint; onus hoc, etſi viribus meis impar, auſus tamen ſum, pro ægrotantium ſalute, ſuſcipere. Quod ſummis vigiliis ad exoptatam metam traduxi; eiq. finem impoſui; & demum cum amicis quibuſdam communicaui: qui cum hos meos labores, & Medicis, & ægris ſummæ fore vtilitati iudicarent; horum cohortationibus impulſus, veſtriſq. patrociniis munitus, (cum non niſi ad communem vtilitatem in lucem edantur) a maledicentium calumniis vindicabor. Valete. Romæ. Kal. Oct. ∞ IↃ X C.

IOSEPHI CASTALIONIS I. C.

DE BARTHOLOMAEI VICARII MEDICI LIBRIS.

PRoueniunt cunctas ſinuoſa volumina in horas
Ex iis, quæ doctus ſcripſerat Hippocrates:
Hic miſeris morbos adimit mortalibus omnes,
Atque Machaonia vulnera ſanat ope.
Ille, valetudo qua ſit ratione tuenda,
Tradit: & innumeros condit vterque libros.
Expoſuit quiſquam partes, & munia nondum
Eius, qui ægrotis ſemper adeſſe ſolet.
Pagina nunc profert docti Phœbea Vicarii
Quo nihil vtilius tradidit Hippocrates.

BARTHOLOMAEI VICARII MEDICI

DE ASSISTENTE SVO.

IN lucem veniſſe nouam traducere longo
  Vitam auo: gazas id ſuperare valet.
Viuere, nec noſtros morbum popularier artus,
  Sat fuerit magnas vincere diuitias.
Letifera affectus febri; ſi munere vitam
  Aſſiſtentis habet: quid magis eſſe poteſt?
Et quis in hac profuga, quam nos traducimus, aura.
  Non multis poterit ſæpe ſubeſſe malis?
Si nihil in terris ſatius, quam viuere vitam,
  Ducere ad extremum quam ſine labe diem,
Cum dolor in toto, cum triſtis corpore languor
  Occupat, & febris ferues vtrimque mala,
Aßiduo ſi quis ſuperet medicamine præſes,
  Hincq. modo ſuccum deleat, inde malum;
Huic lucem acceptam, gazas, vitamq. feremus,
  Hicq. ſuo cunctos munere vincet auos.

INDEX

VI

INDEX CAPITVM.

CAPITA LIBRI PRIMI.

PRoœmium. pag. 1
I De Aſſiſtentium nomine. 2
II De Aſsiſtentis definitione, ſeu deſcriptione. 3
III Qualis debeat eſſe Aſſiſtens, & de eius moribus. 4
IV De Aſſiſtentis Officio in communi. 6
V De Aſsiſtentis Officio in cibo,& potu exhibendis. 10
VI De Officio Aſſiſtentis in priſana, & ſorbitionibus exhibendis. 15
VII De Aſsiſtentis Officio in ſecanda vena. 19
VIII De Aſſiſtentis Officio in applicandis cucurbitulis. 23
IX De Officio Aſſiſtentis in applicandis Hirudinibus. 27
X De Aſſiſtentis Officio,in aluo, initio morbi per medicamentum ſoluenda. 28
XI De Aſſiſtentis Officio in miniſtrandis clyſteriis. 32
XII De Aſſiſtentis Officio in humorum maturatione per ſyrapia facienda. 36
XIII De Aſſiſtentis Officio in fotibus, lenimentis, emplaſtris, epithematibus, oxirodinis adminiſtrandis. 39
XIV De Aſſiſtentis Officio in veſicatoriis, & cauteriis adhibendis. 42
XV De Aſſiſtentis Officio in ſternutatoriis, & naſipurgiis adhibendis. 47
XVI De Aſsiſtentis Officio, in corpore, in fine morbi expurgando. 49

De Pu-

XVII De Publicorum Hoſpitiorum Aſſiſtentis Officio. 54

CAPITA LIBRI SECUNDI.

Proœmium. 57
I De Aſſiſtentis Officio, in Criſibus, & diebus decretoriis cognoſcendis. 58
II De Aſſiſtentis Officio in Vomitu in initio feb. ciendo, vel ſpontaneo obſeruando. 62
III De Officio Aſſiſtentis in fluore ſanguinis è naribus, & ſudore ſpectando. 64
IV De Officio Aſſiſtentis in alui fluoribus in febribus contingentibus. 67
V De Aſſiſtentis Officio in ægris, febri Ephimera laborantibus, regendis. 68
VI Aſsiſtentis Officio in Ethica febre. 71
VII De Aſſiſtentis Officio in cura febris Tertianæ. 73
VIII De Aſſiſtentis Officio in febre quotidiana. 78
IX De Aſſiſtentis Officio in febre Quartana. 82
X De Aſſiſtentis Officio in febribus continuis. 85
XI De Aſſiſtentis Officio in febrium accidentibus. 88
XII De Aſſiſtentis Officio in Peſte: 91
XIII De Aſſiſtentis Officio in cura morbi Gallici. 93

CAPITA LIBRI TERTII.

Proœmium. 97
I De Aſſiſtentis Officio in dolore Capitis. 98
II De Aſſiſtentis Officio in Vertigine. 100
III De Aſſiſtentis Officio in Phrenitide. 101
IV De Aſſiſtentis Officio in Soporiferis affectibus. 103
V De Officio Aſsiſtentis in affectibus virtutis animalis. 105
VI De Aſſiſtentis Officio in Melancholicis affectib. 107
VII De Aſſiſtentis Officio in Oculorum affectibus. 111
VIII De Aſſiſtentis Officio in Aurium affectibus. 116
IX De Aſsiſtentis Officio in Oris affectibus. 117

De

x De Aſſiſtentis officio in Pleuritide. 119
xi De Aſſiſtentis Officio in Pulmonum inflammatione. 123
xii De Aſſiſtentis Officio in Tuſſi. 124
xiii De Aſſiſtentis Officio in Aſma. 125
xiv De Aſſiſtentis Officio in Sputo ſanguinis. 126
xv De Aſſiſtentis Officio in Phthiſi. 128
xvi De Aſſiſtentis Officio in Tremore cordis. 129
xvii De Aſſiſtentis Officio in affectu Ventriculi. 130
xviii De Aſſiſtentis Officio in affectibus Hepatis. 135
xix De Aſſiſtentis Officio in Hydrope. 139
xx De Aſſiſtentis Officio in affectibus Lienis. 141
xxi De Aſſiſtentis Officio in Colico dolore. 143
xxii De Aſſiſtentis Officio in immoderatis Alui fluoribus. 146
xxiii De Aſſiſtentis Officio in affectu Renum, & veſicæ. 152
xxiv De Aſſiſtentis Officio in Vterinis affectibus: & primo de immodico profluuio. 156
xxv De Aſſiſtentis Officio in Menſium ſuppreſſione. 161
xxvi De Aſſiſtentis Officio in Vteri præfocatione. 165
xxvii De Aſſiſtentis Officio in Podagra, & Articulorum affectibus. 167
xxviii De Aſſiſtentis Officio in Conualeſcentibus regendis. 169

BARTHO-

BARTHOLOMAEI VICARII MEDICI

De optimo ægrotantium Aſſiſtente, & eius officio in ſingulis morbis,

LIBER PRIMVS.

PROOEMIVM.

VETERVM Medicorum ſtudia,& honeſtam contentionem in eo poſitam eſſe primo Met. dicebat Gal. vt rerum inuentarum multitudine ſe inuicem ſuperarent. Ex quo tot in omnibus ætatibus ſapientium virorum monumenta ad nos peruenerunt, & ita ſunt ab ijs omnia ſumma cum prudentia,& ratione pertractata,vt nihil addi poſſe videatur. Cum tamen in dies noua ſerpant in homines morborum genera,quæ nouis etiã indigeant præſidijs, mirum minime videri debet, ſi quotidie doctiſsimorum virorum ſcripta ad communem omnium vtilitatem in lucem edantur. Ea enim caritate deuincti, ac coniuncti ſumus, eaque mens nobis a Deo Opt.Max. data,& impertita,vt homo pro ſummo bono, & ſui nominis gloria ducat ſempiterna, ea promulgare, & patefacere, quæ in communem omnium vtilitatem poſſent redundare.

Equidem pro mei ingenij imbecillitate, etſi noua in lucem proferre non poſſum,rationem tamen,ac viam,qua ea, quæ nobis præ-

clariſsimi viri ægris adminiſtranda præceperunt,& præſertim circa victus rationem vtamur, deſcribere, ac litteris mandare conabor. Celſus lib. 2. c.3.potiſsimam medendi rationem in opportuna cibi,& medicamentorum exhibitione collocauit. Qui enim Medico in morbi, ſymptomatumque cauſis perueſtigandis, omne ſuum ſtudium,atque operam collocaſſe, & ſalubria remedia ægris inſtituiſſe conferret, niſi ea recta ratione, & opportune adhiberentur? Cum Imperatore confert Medicum Galenus, cui niſi obediant Aſſiſtentes, omnia labatur,ac corruant neceſſe eſt:& ideo ſæpe vſu venire ſolet, vt, quæ Medicus ægrotanti adminiſtranda inſtituit, vel prætermittantur,vel ſine ratione,& præterita temporis occaſione exhibeantur. Ex quo cum miſeris ægrotis innumera importentur incommoda, & medicinæ parens Hippocrates 1. aph. poſt Medicū nihil potius Aſsiſtentium, & externorum cura habuerit, & neminē hucuſq.viderim,qui de Aſsiſtentium officio cōſcripſerit,pro ægrotantium ſalute,atque incolumitate;mihi,quo modo ſeſe ij,qui ægrotantibus inſeruiunt,in victus ratione, remedijſque adminiſtrandis gerere debeant,hoc in opere pertractare in mentem venit:quod in tres ſecabitur libros.primo enim de ægrotantium Aſſiſtentibus diſſeram in communi;ſecundo eorum in morbis communibus officiū; tertio in ſingulis noſtri corporis affectibus partes quam breuiſſime demonſtrabo.

De Aſsiſtentium nomine. Cap. I.

QVantum vnicuique facultati nominis cognitio afferat iuuamenti,ex eo facile intelligi poteſt,nihil in terris reperiri, quod aliquo non ſit notatum nomine. etſi nomina ſunt ex hominum voluntate,hoc tamē ignorato vix poſſumus in rerum cognitionem deuenire. Nomen hoc Aſsiſtentis maxime patet. Vnuſquiſque enim,qui alicui rei aſsiſtit,Aſsiſtens nominari poteſt. nam & is, qui naui præeſt, & qui in curruum gubernatione verſatur, Aſsiſtentis nomine poteſt inſigniri. Hoc autem in opere nomen Aſsiſtentis vſurpabitur,pro ijs, qui ægrotantium curæ, ac regimini aſsiſtunt, & ex Gal. 1. Aph. com. 1. dicuntur Aſsiſtentes omnes idonei ægrotantium miniſtri.Nam & pharmacopœi in remediorum electione,præparatione,mixtione, exhibitione;chirurghi, in ſecanda vena, vulneris labijs coniungendis, ſuperuacanea auferendo; clinicæ mulieres, fide, & diligentia, ea, quæ ad cibum,& potum,& corporis munditiem ſpectant, ſubminiſtrādo,hoc nomine Aſsiſtentium appellari poſſunt, ac debent. Ita doctiſsimus

Olerius com. 1. Aph. com. 1. interpretatur. Equidem, etſi hanc eſſe veram, & legitimam ipſius Hippocratis mentem affirmo, & in hoc opere ſæpe hac ſignificatione nomen Aſsiſtentis vſurpo, eum tamen conſtitui edocere Aſsiſtentem, qui vel in Medicorum familiam ſit adſcriptus, vel proxime Doctoratus inſignibus ſit accingẽdus. hunc vero, antequam ad medicinam faciendam ſe conferat, non ſolum in doctiſsimorum auctorum libris apprime verſatum, & ea parte, quæ theorica nominatur, maxime eruditum eſſe volumus, ſed qui etiam præſtantiſsimos ſuæ ætatis Medicos in praxi fuerit ſecutus. hic nunquam ad ægrotantium curam acceſſerit, nec in Medicorum numero erit habendus, antequam pluribus aſtiterit ægrotantibus. Etenim difficile factu eſt, vt recta ratione, & methodo in medendo vti poſsit is, qui ſæpe ac ſæpius, die, noctuque ægrotantium labores non viderit, morborum tempora nõ adnotauerit, & ea, quæ auctores in ſingulis ijs temporibus, vel eſſe adminiſtranda, vel fugienda præcipiunt, ad praxim nõ redegerit. In febre enim tertiana opportunum, ac ſtatutum cibi, medicamentique exhibendi tempus qui poterit Medicus ægrotantium Aſsiſtentibus perſcribere, niſi ſæpius in pluribus ægrotantibus horum temporum longitudinem, ac breuitatem animaduerterit? ex quo intelligere facile erit ei, qui medicinæ operam nauare cupit, antequam ad hanc facultatem exercendam accedat, multis ægrotantibus aſsiſtere opus eſſe.

De Aſsiſtentis definitione, ſeu deſcriptione. Cap. II.

CVm eum, qui nobis fingẽdus eſt Aſsiſtens, vel in Medicorum familiam iam receptum, vel proxime adſcribendum eſſe dixerimus, in eo deſcribendo tanquam Medicorum familiæ adſcitum habebimus. Quamobrem, cum Medicus is ſit, Medici primo differentiam, nomenque indagabimus. Etenim dicebat Hip. 1. de morb. popul. ſectione 2. facultatem hanc tribus præcipue conſtare, morbo, ægro, & Medico artis miniſtro. quem locum vir omni laude exponens Galenus, non artis, ſed naturæ miniſtrum voluit Medicum appellari. is enim 1. Aph. com. 2. & 6. & lib. de præceptionibus aſſerit, Medico ea eſſe imitanda in artis operibus, quæ recte à natura fiunt. natura enim ex eodem Hipp. in Epid. eſt morborum medicatrix. Cum itaque natura ſit, quæ in morbi expulſionem incumbat, Medicus, qui naturã corroborare, & ad morbum euincendum con-

firmare conatur, naturæ potius, quam artis miniſter erit nuncupandus: Ego vero ex his, quæ tum ab Hipp. tum a Galeno varijs in locis de medico, & Aſsiſtentibus litteris tradita fuere, ita Aſsiſtentē noſtrum definiendum eſſe iudicaui.

Vt ſit Aſsiſtens, rerum naturæ, & medicinæ facultatis ſcientiſsimus cultor, ægrotantium aſsiduus miniſter, & omnium, quæ ægrotantibus accidunt, diligentiſsimus contemplator. Nam Hipp. 1. & 6. epid. lib. de Medico, de præceptionibus. & Gal. 1. epid. com. 2. 9. de placitis Hipp. & Plat. in arte medica, & 1. & 2. Met. & 6. epid. Medicum naturæ opera callere volunt. Cum inter Medicos, Aſsiſtentem noſtrum ſuperius collocauerimus, ea ſciat, atque cognoſcat, quibus ei, & nomen, & ratio Medici conuenire facile poſsit. Itaque non ſolum naturalis philoſophiæ, & eius medicinæ partis, quæ theorica nuncupatur cognitionem habeat Aſsiſtens; verum etiam omnia, quæ in practica præcipiuntur, memoriæ mandet. qui enim in ægrotātibus, quibus aſsiſtit, ſymptomata animaduertet, ſi naturales facultates, & eorū principia, & elemēta ignorabit? qui opportune venæ ſectionem, cucurbitulas, cliſteres, cibos ægrotantibus adminiſtrabit, niſi, quando vena ſecanda, cibus exhibendus, optime cognouerit? Neque hæc omnia cognoſcere, & ſymptomata Medicis curām ægrotantium gerentibus enarrare poterit, niſi continuo cum ægris fuerit noctu, dieque verſatus. Verum, cum non in omnibus ægrotantibus eum, quem deſcripſimus, Aſsiſtentem, vel bonorum fortunæ tenuitate, vel quia in omnibus Vrbibus, & locis non ſit facile huiuſmodi virum reperire, habere poſsimus; eligi tamen debet, ſiue vir, ſiue mulier ſit, qui in ægrotantium cura fuerit ſæpe verſatus, &, quoad fieri poteſt, naturæ, morbique motus, & ſymptomata calleat, atque cognoſcat, vt & aduenienti Medico enarare, & inſtituta remedia ſuo loco, & tempore ægris valeat adminiſtrare.

Qualis debeat eſſe Aſsiſtens, & de eius moribus. Cap. III.

DE Aſsiſtentium moribus diſputaturus, cum, quæ de Medico veteres auctores litteris tradiderunt, quam plurima ægrotantium Aſsiſtentibus tribui poſsint, principio, quæ Medico dederunt Hippocrates, & Galenus, tum quæ ex his Aſsiſtenti noſtro conueniant, explicabo. Hipp. lib. de veteri medicina cum nauis gubernatore Medicum confert. & lib. de Medico moderato, ac modeſto animo: & lib. de decenti ornatu, bonis, ac honeſtis moribus præditum

eſſe oportere: ita, vt ſit aſpectu grauis, ſubtriſtem, ac meditabundam faciem habeat, bono corporis habitu, ac colore ſit inſignitus. vulgares enim homines, eum, qui hoc pacto affectus non ſit, neque ægrotantibus proſpicere poſſe exiſtimant. Quare & ornatis veſtibus, compta coma, barbæ pilis commode diſpoſitis, pulchra manu, gemmis, auroqne ornata apud vulgus ſummo honore habebitur, beneuolentiamque captabit. In omnibus autem vel Medicorum, vel aliorum hominum congreſſibus, neque ita promptus, vt temeritatem præſeferat, neque ita facilis, vt contemptui ſit: etſi hæc omnia per ſe commoda ſunt, ſi modum excedant, vituperantur, ac damnantur vt plurimum; ſit ad reſponſiones aptus, aduerſus oppugnantes grauis, ad ſui ſimiles ſollers, familiaris, temperatus, ad diſſenſiones taciturnus, ad conticendum animo firmato, ad occaſionem têporis capiendam accommodatus, ad victum frugalis, ad ſermones ſolutus, & expeditus, facilis in loquendo; accedat eidem oportet lepos quidam, facetiæque, & erudito, liberoq. digna celeritas, & breuitas & reſpondendi, & laceſſendi, ſubtili venuſtate, atque vrbanitate coniuncta. hunc lib. de decenti ornatu, ſeu de moribus Medicum deſcripſit Hipp. Quare mirum videri non debet, ſi noſtra hac ætate non eo honore, & exiſtimatione habeãtur Medici, quemadmodum ſuperioribus ætatibus habiti, & iudicati fuerunt. minimi enim huius facultatis nobilitatem facientes, ſolum in eam lucri cauſſa incumbunt, ita vt ij primum locum inter medicos obtinere iudicentur, qui pluribus diuitijs, ac fortunis abundent. Quamuis Hipp. lib. de præceptionibus, à mercede curationem inchoandam eſſe velit. Medicorum tamen mens, ac finis præcipuus in curatione eſſe debet, vt tuto, cito, & commode à morbo ægrotãtes vindicent, ſanitatemque reſtituant. Quamuis enim vnuſquiſque operarius ſua ſit dignus mercede; præcipit idem ſæpe Hipp. vt Medicus, præmio poſthabito, peregrino, & egeno maxime, ſi opis ferendæ occaſio ſe obtulerit, opituletur. Noſter autem, quem informamus, Aſſiſtens, etſi his omnibus ornamentis præditus eſſe debet, præcipue tamen ſumma vitæ probitate, morum integritate, dicendi copia, & eloquentia, rerum omnium, & præſertim naturalis diſciplinæ, Aſtronomiæ, & Medicinæ facultatis ſcientia floreat, & eluceſcat; ſit aſpectu iucundus, hilari vultu, ſed moderato ſermone, & corporis habitu grauitatẽ, amplitudinemque demonſtret; vt perbelle monuit vir doctiſſimus Gal. 6. epid. com. 4. manus prætereà quam lautiſſimas habeat, faciem, & pilos in barba, & capite, & reliquas corporis partes, quo ad fieri poteſt, bene diſpoſitas, & ordinatas; &, quod primo loco erat dicendum, non ſolum ſit Christiana fide munitus, ſed etiam, detractis

alijs

alijs vitijs, religione, & omni laude cumulatus. Hoc enim pacto libentius ægri Aſſiſtentis tutelæ, ac patrocinio ſe, ſuamq. domum, totam deniq. familiam ſubijcient, eumq. tanquã Diuinum numen intuebuntur, nihilque, quod ſiue in victus ratione, ſiue in medicamentorum exhibitione adminiſtrabitur, prætermittent; pro certoque habebunt, ſe illius præceptis, ac inſtitutis obtemperantes quam citiſſime, & tuto priſtinam ſalutem recuperaturos.

De Aſsiſtentis Officio in communi.
Cap. IV.

Officium ex Cicerone lib. 1. Officiorum eſt, quod quiſque efficere debet. Aſſiſtentis enim officia in ægros plura eſſe ſolent, inter quæ multa cum Medicorum officijs coincidunt, & commiſcẽtur. Medici autem officia communi ratione accepta tria potiſſimum enumerãtur; ſanitatem cuſtodire, morbos depellere, & à morbo conualeſcentes in priſtinam, & perfectam ſanitatem reuocare. non enim ſtudium minus homines in ſanitate cuſtodienda, ac in morbis profligandis, integraque valetudine recipienda curam, diligentiamque collocabunt. ſi quis enim, quantum cibi aſſumendũ, quamdiu exercendum, quæ, & qua copia, quo tempore potandum, quæ ſanitati aduerſaria fugienda, quæ naturæ amica, & familiaria recipienda, perfecte, ac abſolute cognoſceret, ad multos quidem annos ab omni labe, & morborum genere innocuam, atque integrã vitam propagaret: id autem non ſolum ſui natura difficile eſt, ſed ſæpe ex deprauatis erroribus, & conſuetudine ſeſe homines tot, tãtiſque replent alimentis, vt corrupta eorum facultate, & copia, innumeris propemodum, & mali moris afficiantur morbis. propterea multa extant veterum auctorum monumenta, quibus ſanitatem tã nobilem, & ita ab omnibus exoptatam cuſtodire edocemur. Nam cum vel noſtræ naturæ imbecillitate, vel ex nimia viuendi intemperantia, à perfecta illa, & abſoluta humorum temperie, & corporis conſtitutione deficimus, auia quaſi natura, & à ſe ipſa derelicta, niſi Medicorum, & Aſſiſtentium ope ad rectam illam viam, & temperiẽ retraheretur, omnino præceps ageretur. Quæ cum ita ſint, neceſſitate quadam homines coacti rationem, qua natura deuia facta ad priſtinum ſanitatis iter reduci, & reuocari poſſet, adinuenire ſtuduerunt. Neque id ſatis illis erat, niſi quo modo ægri, morbo deuicto, ne in nouum inciderent affectum, effugere poſſent, certa præcepta traderentur; & ideo Medicus ſanitatis cuſtos, morbi propulſator, ſanitatiſque

tatiſque dicitur reparator. Quod vero ad illam partem, ſanitatem videlicet tuendam; minime Aſſiſtentes adhiberi ſolent; ad reliqua vero, vt ad morbum profligandum, ſanitatemque reparãdam, ægri Medicos, & Aſſiſtentes aduocare conſueuerunt. Poterunt itaque duo illa poſtrema officia, etiam Aſſiſtenti noſtro conuenire. Nam, etſi à Medico ſalubria remedia ægrotantibus, quibus morbum oppugnent, etiam eo deuicto, ſanitatem recipiant, inſtituuntur, Aſſiſtens erit ille, qui debito, ac opportuno tempore, cum natura vegetior apparebit, ea ſubminiſtrabit, quibus natura munita, ac corroborata contra morbum inſurget; neque quieſcet vnquam, donec eum penitus debellauerit. &, quoniam ægri ſæpe à morbo reuiuiſcentes variarum rerum, cum ciborum, tum potuũ ſuauitate capti, maximis ſe errorum laqueis implicarent, niſi Aſſiſtens, ratione, quã tum incommodi ex eorum vſu illis oriri poſſet, demonſtrando, ſuaderet; in conualeſcentium etiam curam recipiendi ſunt Aſſiſtẽtes. Neque vero ea ſolùm eorum munera exiſtimare oportet; ſed plurima etiam illorum erga ægrotos inſurgunt officia. Nam, ſtatim atque ad ægrotantium curã fuerit Aſſiſtens adſcitus, is eius ad ægros debet eſſe acceſſus, vt neque non in tempore ingrediatur, neque impetu, aut voce elata, aut inceſſu, & aſpectu aliquo prorſus indecoro, vt nos optime docuit Galen. *6.* epid. com. 4. coram ægroto quadam corporis grauitate aſſideat, hilari vultu, ſtrata, ceteraque circa ægrum poſita inſpiciat, totoque cubiculo oculos circumuoluat, & omnia perluſtret, cum ægro eum ſermonem inſtituat, qui totus ad ſui curationem, ſanitatemque recuperandam dirigatur; & principio ægrotantis natura erit plane ex ipſo cognoſcenda, omnia, quæ, dum ſanitate frueretur, ad ſanitatem faciebant, eiq. detrimento erant, diligentiſſime intelligenda; qua præterea occaſione in eum, quo tunc laborat, morbum, inciderit, plane cognoſcendũ, an primus ab ineunte ætate is morbus, vel ſæpe aliquo graui affectu corripiatur, & recidiuus ne ſit; tum, locus, qui primo, ac per ſe afficiatur, non ſolum ex ægrotantium enarratione, ſed ex dolore, tactu, ſymptomatibus ſuperuenientibus maxime cognoſcendus; ea etiam, quæ per conſenſum læduntur; cauſæ denique an continentes, an externæ fuerint. ex hac enim morbi, cauſarumque indagatione, tantæ erit apud ægrotantem, & domeſticos exiſtimationis, vt non ſolum eius præſentia, & conſpectu maxime recreentur, ſed ſperent etiam quam celerrime ægrum eius auxilio, & aſſidua cura morbo fore liberandum. ita præcipit Gal.*6.*epid.com.3.tex.20.perſpecta demum ex pulſibus vitali facultate, & ex vrinis, & alui excrementis naturali, opportunis, ac ſalubribus Medicorum remedijs, &

diligenti,

diligenti, & aſſidua adminiſtratione polliceatur ægrum quam breuiſſime ſanitatem recuperaturum. Depoſitis deinde veſtibus, ad illius familiares, & domeſticos ſeſe conuertat, ijsque coram ægro aſſerat, in eius curatione eam ſe adhibiturũ diligentiam, ac ſi alicuius ex ſuis intimis, ac familiaribus curæ præeſſet. Curet præterea, vt domus pauimenta, & quæ ad ægrotantem ſpectant, cubicula, vaſa vrinaria, & in quibus alui excrementa excernuntur, ab omni ſorde vacua, & optime perpolita ſint; linteamina nitida, & alba, quibus lectus ſternatur; vt is, quem æger inſpirat, aer ſit omni impuritate immunis. Tempore vero æſtiuo, etſi morbus, quo æger afficitur, æſtuoſus ſit, domus floribus, & frondibus, quæ refrigerandi, animumque ægrotantis oblectandi vim habent, niteat, & effloreſcat, e contra vero in frigidioribus temporibus, morbiſque frigidis: caueat tamen ab ijs, quæ nimium efflant odorem, ſi caput præſertim patiatur, aut imbecillum ſit; nam ex Hipp. in aph. aromatum ſuffitus ad multa alia eſſent opportuni, niſi caput peterent: propterea, cum capiplenium, vt ita dicam, ſæpe excitent, & vt plurimum caput ſiue ex ſe, ſiue per conſenſum afficiatur, ij omnino ab ægrotantibus remouendi ſunt; vaſa præterea, & ea potiſſimum ſint perpolita, ac parata, quibus in cibis exhibendis, medicamentisque propinandis vti ſolent. Neque vnquam, ſi fieri poteſt, ab ægri latere diſcedat Aſsiſtens, qui, ſi ad ſomnum fuerit procliuis, nec per morbũ, aut imminentem acceſsionem dormire conueniat, varijs lepore, ac ſuanitate aſperſis ſermonibus vigil contineatur. Tempore vero quietis Aſsiſtens etiam quieſcat. Verum antea, omnia accidentia, & motus omnes, qui ęgro tum in ſomno, tum in vigilia ſuperueniũt, animaduertat. Aduenienti Medico obuiam ibit Aſsiſtens; quo cum hilari vultu, lætaque facie ad ægrum ingrediatur. &, quoniam vt plurimum ægri ipſi Medico accedenti, quidquid boni, aut mali ab eius diſceſſu paſsi fuerint, enarrare conſueuerunt: ideo tunc ſilentium imponat Aſsiſtens, neque quiſquam inter Medici, & ægroti ſermones ſe interponat. quibus abſolutis, primo, Medico vrinam, quæ per horam fuerit conſeruata, vt contenta inſpici poſsint, & alui excrementa, vel ſputa, aut quæ vomitu reiecerit, vel ſanguinẽ, qui e naribus fluxerit, oſtendat. deinde in alteram partem, Medico ſemoto, ſi quid ab ægro ſuis in enarrandis affectibus prætermiſſum fuerit, ipſemet Aſsiſtens paſſim enarret. Verum, quoniam ijs ægris, quibus Aſsiſtens conducitur, plures etiam ſolent medici accerſiri; ideo, quæ de vno Medico dixi, de omnibus probata eſſe intelligantur. Illud vnum præterea accedit, cum plures aduocantur Medici, collegia, & conſultationes inter ipſos ſolere celebrari. propterea

Aſsiſtens

Aſsiſtens in altero cubiculo, ſeu in ipſius domus aula, ex qua æger Medicos audire non poſsit, ſellas habeat paratas, quibus, dum inter ſe ſermones habent, medici aſsideant. Inter quos humiliori loco reſideat Aſsiſtens,& primo loco dicat,ſi ille primus fuit ad ægrū Medicorum acceſſus, Aſsiſtens diem, & horam,qua morbus cœperit, quamdiu primum, & reliqua tempora perdurauerint, an illius morbi præceſſerit cauſa externa, an nullo errore perpetrato eo affectu fuerit correptus, quæ hucuſque ſymptomata paſſus, quæ & qualia excrementa,& vnde eiecerit, quam diligentiſsime enarret. Si doctoratus inſignia acceperit Aſsiſtens, poterit etiā de eius morbi natura diſſerere,ſententiamque ſuam in medium afferre, ita tamen, vt, quæ a ſe dicta fuerint, ſapientiſsimo ceterorum Medicorum iudicio ſubijciat; &, dum alij Medici de vi morbi, cauſa, ſymptomatibusq. diſputationem habent,attentum ſe præbeat,demonſtretq. ſe maxima teneri auiditate diſcendi; omnia, quæ Medici in ægrum agēda ſancierunt,memoriæ mandet, ita,vt ſingula quæque ſuis temporibus exequatur.Abſoluta de morbo conſultatione,& de liberatione,Medicisq. recedentibus, Aſsiſtens ægrum adeat,& quā plurima a Medicis pro eius ſalute inſtituta fuiſſe, ſeq. diligentiſsime exequi velle, demonſtret. Verum ſæpe nonnulla præcipiuntur a Medicis,quæ æger maxime abhorreat.Varijs propterea rationibus ſtudeat Aſsiſtens ægro ſuadere, ſe ex ijs præſidijs plurimum iuuamenti eſſe percepturum: quæ ſi non adhibeantur, vel fore,vt morbus in longum protrahatur, vel non mediocre ei vitæ periculū imminere.Sed,ſi is, qui ægro aſsiſtit, non ſemper medicinæ præceptis fuerit imbutus,quicumque ij fuerint, ſuperius enarrata obſeruare conentur,caueantq. quidquam ægro adminiſtrare, quod vel a Medicis non fuerit inſtitutum,vel cum ijs non communicauerint. Age vero, & virorum,& mulierū æque curæ Aſsiſtentes adhibentur, diuerſaq. vtentur in mulieribus aſsiſtendi induſtria.Nam,cum vir viro aſsiſtit,multos cum eo ſermones habere poterit, quæ minime coram mulieribus proferre conueniet,in hominis partibus pertingēdis, perſpiciendisq. datur libera Aſsiſtenti facultas. at mulieres, cum ad alui excrementa, vrinamq. excernendam e lecto conſurgunt, recedat Aſsiſtens, & familiaribus mulieribus, quæ ei præſto ſint,omnia demandet. Hippocratis etiam iuſiurandum non ſolum memoriæ cuſtodire, ſed integre, ſancteq. debet obſeruare. is enim Apollinem,Aeſculapium,Hygiamque, ac Panacem primos Medicinæ parentes, iureiurando; Aſsiſtens vero noſter Deum Opt. Max. Diuosq. conteſtetur,quaſcumque domos introierit,ſe ob vtilitatē ægrotantium ingreſſurum,ab omnique iniuria voluntaria inferen-

da, & corruptione præſertim operum Venereorum fore, vt abſtineat; ſiue muliebria, ſiue virilia, liberorum ve hominum, aut ſeruorum corpora ei contigerint cuſtodienda; & quæcunque, dum ægris aſsiſtit, viderit, audierit, immò etiam ægris ad aſsiſtendum non adhibitus in communi hominum vita cognouerit, ea, ſi in lucem proferre non contulerit, ſe ſilentio præteriturum, ac tanquam arcana, & recondita apud ſe habiturum. Iubeat præterea Aſsiſtens, antequam morbus ingraueſcat, ægrum ſuos errores, ac crimina apud optimum, & religioſum confeſſarium pro legis Chriſtianæ obſeruātia, animiq. puritate confiteri, Deumq. precari, vt, peccatis remiſſis, ſibi pius, felix, fauſtusq. ſit.

De Aſsiſtentis Officio in cibo, & potu exhibendis. Cap. V.

QVanti apud veteres Medicos opportuna cibi fuerit exhibitio, teſtatū reliquit Hipp. 3. epid. com. 3. t. 30. de Eurianaptis filia, quæ, cum acutiſsimo morbo correpta eſſet, ex ſolo vuæ racemi eſu ſuum diem obijt, & Pythio crithoſo ex neglecta victus ratione in acutam incidit febrem, & Hermocrates in 3. epid. com. 1. t. 8. ex immoderato victu ex hac luce diſceſsit. Si præterea omnia auctorum ſcripta euoluamus, potiſsimam medendi rationem in opportuna alimentorum exhibitione collocarunt. Pluribus enim, in aduerſa valetudine, ſi in initio debita viuendi methodus perſcriberetur, nullis alijs opus eſſet præſidijs; &, ſi fieri poſſet, vt ægri omnino a cibo abſtinerent, nihil eſſet potius ad euincendos morbos, ſanitatemq. recuperandam. Etenim natura, minime in alimentorum coctione diſtracta, tota in morbis oppugnandis verſaretur. Verum ea ita infirmis eſt innixa principijs, vt perpetuo tenuior noſtræ ſubſtantiæ pars diſsipetur, ac diffluat. Ex quo ita noſtri corporis vires proſternuntur, ac deficiunt, vt vix vitalem auram quis hanriret, ſed ſubito interiret, niſi id, quod continuo noſtræ ſubſtantiæ conſumitur, atque deperditur, alimentorum ope, atque præſidio reſarciretur, & in integrum reſtitueretur. at, ſi eius, quod abſumitur, reparatio ſanis maxime neceſſaria eſt, ægri certe, in quibus, & naturæ imbecillitate, & morbi prauitate, maior ſubſtantiæ pars euaneſcit, maiore videntur ex alimentis indigere inſtauratione. Sed, qui de morborum curatione ſcripſerunt, quo morbus grauior, ac perniciofior eſſet, & magis naturam opprimeret, eo tenuiori victu vtendum eſſe præceperunt. Etenim, cum morbus peracutus eſt, & extremos habet labores,

bores, dicebat Hipp. 1. Aph. com. 7. tenuiſsimo victu vtendum eſt, vbi Gale. in com. per Tenuiſsimum, nihil dandum eſſe interpretatur. Itaque veteres Medici in morbis, qui in quarta die iudicium habituri erant, ægros vſque ad quartam fame conſumebant, vt videre eſt apud Hipp. & Galen. 2. de ratione vic. & Galen. 2. de diebus decret. c. 2. Noſtra vero hac ætate in dubium venit, vtrum eam viuẽdi rationem, qua veteres vtebantur, noſtris ægrotantibus præſcribere debemus. Etenim Cornel. Cel. lib. 3. c. 4. diuerſas Medicorũ familias enumerans, quæ varia inter ſe vtebantur viuendi methodo, vt alij prima, alij ſecunda, alij vſque ad tertiam, & quartam diẽ cibum non darent, ſtatuit, nihil horum eſſe perpetuum. plurimum enim referre aſſerit, in ægris alendis, videre, qualis ſit morbus, quale corpus, quale cælum, quæ ætas, quod tempus anni: & Paulus Aegineta lib. 2. c. 20. ſuis temporibus cum pituita bili maxime admixta ſit, mutandam eſſe dixit victus, & medicamentorum rationem. Age vero, cum conſuetudo ſit altera natura, ex eodem Hipp. 1. & 2. acut. in cibis, potibus, medicamentisq. propinandis, ſemper vſus, & conſuetudo eſt conſeruanda. Dum ſanitate fruimur, bis ſaltem in die cibum aſſumere ſolemus, in eoq. capiendo, non ea fortaſſe nunc, qua veteres, vtimur temperantia. Ideo, horum præſtantiſsimorum virorum auctoritate ductus, tenuiſsimam illam viuendi antiquorum rationem noſtra hac ætate, & hic Romæ, minime ſeruandam eſſe exiſtimo. Quare, ſi Aſsiſtens in ægrum acutiſsimo morbo laborantem inciderit, minime præceptis inhæreat antiquorum. Sed ex eodem Hipp. 1. Aph. minor erit error in paulo pleniori, quam in tenuiori victu, qui antequam ægrum cibo reficere aggrediatur, hæc omnia primo habeat parata; albæ ſinonappæ, candida mantilia, vaſa, quibus & ad potandum, & veſcendum vtetur æger pellucida, nitida, & à ſitu deterſa ſint, cultros acie prolixa, cote exacutos, terſos, & perpolitos ægro anteponat, menſa floribus, & alijs ornamentis eluceſcat. nitor enim iſte, & apparatus non ſolum ægrotantis animum exhilarat, verum etiam appetitum ratione morbi deperditum reuocat, atque inſtaurat. &, ſi morbus certos habeat circuitus, & acceſsiones, quam longiſsime ab eorum inſultu cibus exhibeatur. dicebat enim Hipp. 1. Aph. in acceſsionibus abſtinere oportet; nam cibum dare nocuum eſt. & 1. de ratione vic. in morbis acut. t. 39. frigentibus pedibus, & inſtante tempore acceſsionis (frigiditas enim extremorum, acceſsionis venturæ præſagium eſt) neque ſorbitiones, neque quidquam huiuſmodi dabis. eo enim tempore ex ciborum aſſumptione, maxime morbus augetur. Itaque, antequam aliquid ægro adminiſtret Aſsiſtens, acceſsionis, &

morbi principia cognita, & perſpecta habeat. vtrum eadem ſemper hora aduenient, præueniant ne, vel poſtponant. cum vero anceps eſt animus, an paulo poſt, vel tunc à quatuor horis ſit acceſsio futura, tunc quietiori tempore, & minori copia cibus exhibeatur, dummodo non adſit extremorum frigiditas. at, ſi experiundi gratia ſcire aueat Aſsiſtens, an vtilius ſit vti tenuiori, vel pleniori victu, ſemper à tenuiori inchoabit, ex Hipp. 3. epid. com. 2. t. 3. & 3. epid. com. 3. t. 72. At, ſi ægrum vſque ad morbi inclinationẽ abſque alimento ſufficere poſſe iudicemus, vel nihil eſt dandum, vel is ſorbitionibus tantum erit continendus. in morbis vero, qui ægros cõtinuo angunt, alia eſt cibi exhibẽdi ineunda ratio. nam, ægroti viribus perſpectis, & morbi cognita duratione, ſi morbus acutiſsimus ſit, & extremos patiatur labores, & celerrime ſit ad ſtatũ properaturus, tenuiſsimo, quem noſtra tempeſtate intelligimus, victu vtendum erit, ita, vt ſolis ſorbitionibus, vel pane in iure pullæ incocto, aut ptiſana virtutem manutenendam eſſe arbitremur. Et, quoniam vt plurimum Medici totam cibi propinandi rationem, & tempus, ſapientis Aſsiſtentis iudicio committere ſolent: ideo, hac in re, ne errores in ægris alendis ab Aſsiſtente fiant, omnia, quæ ad ægros regendos maxime ſpectant, is erit à nobis plane edocendus. In continuis, grauibusque affectibus id temporis in cibo exhibendo elegi debet, quo, dum ſanus æger degebat, cibum ſumere conſueuerat. eo enim tempore, cum fuerit natura maxime aſſueta, minus defatigabitur. Verumtamen, ſi tunc morbus magis ingraueſcat, cibus differatur, donec ſymptomata, morbusq. remiſerint. hac enim in re, ceteris alimentis prætermiſsis, ſit ſolis contentus ſorbitionibus. Neque expectandam cenſeo abſolutam morbi inclinationem, ſed aliquantulam remiſsionem. Vſu enim ſæpe venire ſolet, vt tot in acceſsionis ſtatu ſymptomata, & tam grauia ſuperueniant, vt ipſius etiam declinationis vſurpent partem. Quod ſi id contingat altiori in alimento porrigendo, indiget contemplatione. Si enim æger in principio, augmento, ſtatu, ſine cibo contineatur, & in ſtatu tot, tantisque accidentibus corripiatur, quæ in declinatione fere exanimem eum reddant, tunc, ſi cibum demus, detrimento potius erimus, quam iuuamento. perpendere itaque oportet, an in augmento, vel in declinatione appareant accidentia, ex quibus in cibis exhibendis æquior ſtatus eligatur, vt optime Galen. 2. Met. cap. vlt. teſtatum reliquit. Quare non poſſum non maxime mulieres ægrotantibus inſeruiẽtes damnare, quæ, quo grauioribus ægros obrui accidentibus animaduertunt, eo ſunt in alimento propinando frequentiores; minime intelligentes, ex cibo tunc temporis exhibito,

hibito, arma contra miſerum ægrotantem ſubminiſtrari. Etenim. cum natura contra morbum quaſi in arenam deſcendat, & tota in eo profligando occupetur, ſi ad alimentum concoquendum retrahatur, morbus vires acquirendo infelicem ipſam naturam alio cõuerſam omni conatu aggreditur, alijſque muneribus defatigatam humi proſternet. Neque id à ratione alienum, ſi ea, quæ in 1. de gener. diſputat Ariſt. recte perpendamus, vt omnis actio in reagendo patiatur. natura enim in alimento conterendo, fluido reddendo, ac concoquendo non poteſt non maxime defatigari. Quare, dum natura in morbo oppugnando detinetur, neque cibis, neque medicamentis erit agitanda, vt, omni re ſoluta, ac libera, id, quod ſibi nocuum eſt, ſuperet, atque euincat. Neque ſolum in alimento ſumendo, affectus ipſi an intermittentes, vel continui ſint, animaduertat Aſsiſtens; ſed genera morborum in quo ſtatu ſint, anni tempora, ægrotantium natura, ætas, alimentorum facultas, & copia ſunt optime cognoſcenda. Nam morbis diuturnis victum nimis tenuem, & exquiſitum ſummopere damnat Hipp. in Aph. & Gal. vbique docet, vt, cũ in longũ protrahitur morbus, vberius nutriamur; &, quo propius ad ſtatũ accedimus, eo magis de alimento ſubtrahatur. Itaque & Medici, & Aſsiſtentes nunquam ægro rectã viuendi perſcribent rationem, antequam de morborum temporibus, ad quæ tota curatio dirigi debet, certam nacti fuerunt ſcientiam. Nunc autem pro certo habeatur; niſi & à Medico, & ab Aſsiſtente morborum tempora ſtatuantur, viuendi rationem minime poſſe definiri. Ideo optime dicebat Hipp. 1. Aph. 9. coniectari oportere, an æger cum tali victu ſufficiat perdurare, donec morbus conſiſtat. Quo modo autẽ horum temporum cognitio habeatur, ne ab inſtituto noſtro recedere videar, memoriæ mandet Aſsiſtens omnia, quæ Galen. in com. 1. Aph. & in lib. de criſib. & in lib. Met. quam doctiſsime diſputauit, & in tota aſsiſtendi cura nihil potius habeat, quam inter ſe morbos, & ſymptomata diſtinguere, an in genere auctorum reponantur, vel in longum propagentur, virtutemque cum morbi magnitudine conferat, ita, vt virtutem cuſtodiat, morbumq. depellat, virtus regitur, ac conſeruatur, ſi cibi opportuno tempore exhibeantur. Anni etiã tempora, & conſtitutiones ad alimentum propinandum plurimi faciunt. nam æſtatis tempore, ex circumfuſo aeris calore ſuperueniẽte febrili ardore, cum calidi ſit rarefacere, apertis corporis meatibus multum noſtræ ſubſtantiæ diffluat neceſſe eſt. Ideo Gal. 1. Aph. com. 17. & Auic. 1. 4. trac. 2. c. 18. iubent, vt, quoad temporis rationẽ ſpectat, æſtate parum, & ſæpe nutriamus. hieme autem coarctatis meatibus, & calido innato in ventribus aucto, tempus in alimento

exhibendo

exhibendo minime nobis negotium faceſſet; &, cū reſolutionis occaſio ceſſet,neque partitis vicibus nutriemus,neque vna vice multum exhibebimus.Ita ſuadet Auic.1.4.tract.2. natura etiam ipſius ægrotantis maxime ſpectanda.etenim & bilioſi,& plurimo cibo aſſueti,vt pueri,etiam ſi acutiſsimo morbo corripiuntur,tenuiſsimo victu minime contineantur;ſed condonandum eſt aliquid ætati, naturæ, & conſuetudini. cibi autem, qui ægro offeruntur, boni ſucci ſint.ideo maximis erroribus irretiuntur ij,qui in morborum principijs dant pira decocta cum zaccharo, & pro acetarijs cicorium, lactuca. hæc enim omnia ex Gal. de alimentorum facultatibus, mali ſucci ſunt, & eo magis damnandi ſunt ij, qui vocatos morzapanes febricitantibus, vel debilibus à morbo conualeſcentibus exhibēt: hi,cum ex amygdalis cōficiantur,& zaccharo,Gal.2.de aliment.facult.c.17.aſſerit amygdalarum vſum in ſtomacho debili non conuenire. neque enim leniunt, neque adſtringunt, & in febribus, quia oleoſæ ſunt,& ex admixtione zacchari dulces,Gal.li.6.de ſimp.c.2. & lib.2.c.29. dicebat amygdalas eſſe calidas,& oleoſas, & propterea in bilem facile conuerti. Verum de febricitantium victu, & aſſiſtendi diligentia in altera huius operis parte fuſius diſputabo. Nunc vero in vniuerſum leges Aſsiſtenti perſcribantur,quas in omnium morborum temporibus conſeruabit. Non minorem in potu offerendo ægris Aſsiſtens collocabit induſtriam, ac adhibuit in victu diligentiam. Etenim in principijs morborum ſi pro potu danda ſit aqua,eligatur ea,quæ ex puriſsimo fonte ſit hauſta. omnesq. illas habeat facultates, quas optimam aquam habere debere præcipit Hipp.lib.de aere,aquis,& locis.& cum non vbique locorum fontes ea ratione ſiti, neque tantæ bonitatis reperiantur aquæ,quantæ voluit Hip.arte ſaltem,quoad fieri poteſt, ſtudeat Aſsiſtēs quam optimam ęgrotanti parare.Ideo,cum aquarum cruditatis ſuſpicio eſt,lento igne ea incoquatur,decocta autem, & ab igne ſemota neque alia re infrigidetur,ſed aeri frigido exponatur, donec ad ſuam naturalem redierit frigiditatem.hac enim ratione partes in imum craſsiores deſcendent.ideo,relicta quarta imi parte,reliqua ægrotanti potui detur. Solent præterea Medici ægrotis aquas inſtituere medicatas. Verum de his ſuis locis pertractabo. Hac tantum animaduerſione indigent Aſsiſtentes in potu propinando,vt potus copia cum cibo congruat,habita tamen ratione temporis morbi,quo laborat, ætatis, & conſuetudinis; poſt cibum, ab omni potu abſtineat, niſi ijs condicionibus, quas lib. met. medendi deſcribit Gal. Vbi autem ſiccum os fuerit ſæpe abluendum,ex eius enim ablutione non ſolum fuligino ſi vapores caput petentes reprimuntur; ſed

ille ingens ventriculi ardor ex aquæ frigiditate linguæ communicata contemperabitur,& humores illi viſcidi,& ob nimiam linguæ ſiccitatem partibus œſophagi impacti frigidæ vſu emollientur,& foras facilius expellentur. Si vero vinum ſit dandum, id pro affectus natura eſt eligendum. Neque quis, antequam morbi naturam, & ſymptomata,& locos male affectos perſpectos habeat,temere vini potum audeat exhibere.

De Officio Aſsiſtentis in ptiſana, & ſorbitionibus exhibendis. Cap. VI.

CVm Aſsiſtentem omnibus,quæ ad ægrotantis curam ſpectant, informare decreuerim, & præcipuus in ægrotantibus ſit ptiſanæ vſus, de qua ita exacte, ac perpolite ab Hip. de victus ratione in morbis acutis, & à Gal. in com. eius operis, & in libello de ptiſana actum fuit,vt nihil addi poſſe videatur; ideo totam de ptiſana tractationem ab his præſtantiſsimis viris mutuabor. Etenim,cum nihil,vel quo ad eius paratum,vel ad vſum pertinet,prætermiſſum ſit,omnem eius cultum,& ornamentum,ex illorum commentarijs, & fontibus huc transferendum eſſe iudicaui. Ptiſana igitur,genus eſt ſorbitionis, quæ ex aqua, & hordeo comparatur, in cuius apparatu Gal. in eo libello præcipit, vt aqua tum ſubſtantia, tum guſtu, tum etiam olfactu, atque colore comprobetur: guſtu, & olfactu,vt nullam externam facultatem præſeferat, ſed omnis ſit facultatis expers,vt perlucida,& perſpicua. denique omnes eas habeat vires, quas diximus ab Hip. in lib. de aere,& aquis requiri. Hordeum vero, ex quo ptiſana conficitur,nihil vel adſciticiæ putredinis,vel ſuperuacaneæ humiditatis obtineat, neque nimis recens, neque omnino vetuſtum,ſit plenum,&,dum coquitur, in tumorem attollatur;ex eo autē,dum ptiſanam parare velis, prius illud in aqua diutius macerato, deinde ita manibus verſato, quouſque tenuis illa membrana deglubatur, poſtea rurſus manibus valentius eo vſque confricato,vt,quidquid paleaceum ineſt,excutiatur. Si vero ptiſanam magis abſtergentem exoptemus, ipſum hordeum vna cum membrana incoquemus. quam plurimum lento igne ebulliat,quouſque in ſuccum conuertatur. hac enim ratione ptiſana decocta,ac parata,omnia,quæ in hordeo vitia inerant, deponet, & omnes eas vtilitates pariet,& commoda, quæ de ratione victus narrat Hippocrates. Verum raro tota ptiſana noſtris temporibus vti ſolemus; ſed eius tantum ſucco,& cremore. itaque, ea ratione, vt dixi,hordeum

deum præparatum,decoctumq. in rarum linteolum conijcimus;tãtumque exprimimus, donec ſuccus fuerit omnis extractus; denuo in ollam reponimus, &,lento igne addito,eiuſdem hordei decocto, vel,ſi copioſioris nutrimenti eſſe velimus,iuſculo pullæ tantum im miſcemus, donec lentor ille æqualis fuerit.. & hoc pacto ptiſana, quam tot,tantiſq. laudibus effert Hip. & Gal.erit conficienda. At noſtri temporis pharmacopœi, quibus omne conficiendæ ptiſanæ munus demandatum eſſe videtur,lucro potius, quam ægrotãtium vtilitati conſulentes,cum vt plurimum ſint imperiti,neque in hordeo eligendo, neque abluendo, aut manibus confricando, neque concoquendo,vllam adhibent diligentiam. Id ſatis illis eſt, vt alba appareat,&,multo immixta zacchato, dulcis,& ſuauis, eſſe videatur. Sed,niſi ea ratione,qua Hip. & Gal.deſcripſit,ptiſana conficiatur,innumera propemodum pariet incommoda, & in ſummum vitæ diſcrimen miſeros ægros adducet.Quare multo ſalubrius,ac tutius eſſe exiſtimo,vt domi potius à clinicis mulieribus, quã à pharmacopæis ptiſana paretur.Itaque Aſsiſtẽs,cum tanti ſit emolumẽti, & vſus huiuſmodi ſorbitio, hordeum, ex quo erit ptiſana paranda, cognoſcat, atque perpendat, an ijs prædita ſit viribus, quas ei tribuit Gal. locis citatis. iubeat præterea,ea, qua diximus, methodo à mulieribus adminiſtrari,cui nihil, quod eius bonitatem poſsit labefactare, & corrumpere, admiſceatur. Ideo ſumma ſit Aſsiſtentis cura,ne ptiſanæ,ei præſertim, quæ in morborum initijs eſt exhibenda,peponum ſemina admiſceantur.Cum enim ptiſanæ vis,& facultas in eo verſetur,vt refrigeret,& humectet,abſtergat, & humores ventriculo inhærentes auellat, & obſtructas, & reſeratas vias aperiat;peponum vero ſemina viſcida ſint, & ſubtiliori parte vrinã prouocent ; ſi in initio morborum ptiſanam cum ijs admixtam exhibeamus,naturam à cõcoctione reuocabimus, & humores agitabimus. Etenim,cum humorum concoctio, & maturatio ex Ariſt. 4. Meteo. in quiete fiat;& in initijs morborum præſtitis communibus euacuationibus, concoctione magis, quam euacuatione indigeamus; ſemina autem melopeponum per vrinam euacuent;ægris detrimento erimus potius, quam vtilitati; neque, vbi adſunt ſplenis, aut hepatis abſtructiones, aut viſcerum inflammationes, zaccharum ptiſanæ adijciatur. nam Gale. lib. de victu attenuanti, c, 6.in morbis pectoris dulcia laudauit, in ceteris vero omnino damnauit. cum enim natura dulcibus maxime delectetur, ex his cibus trahetur ad viſcera inconcoctus,& fiet maior obſtructio.In quibus vero morbis, & quo tempore ſit ptiſana afferenda, doctiſsime Hip. & Gale. docuerunt. Nam, cum ptiſanæ vis, & facultas, ſit hume-

ſtandi, & refrigerandi, & putridos humores detergendi, & à putredine reuocandi; morbis profecto ex putredine ortis, & ſummo calore æſtuantibus, ptiſanæ ſorbitio maxime conueniet. In reliquis vero vel ptiſanæ vſus ſuperuacaneus, vel potius detrimento erit. propterea non exigua erit Aſsiſtentis cura, vt neque ijs, qui, ſummã plenitudinem nacti, venæ indigent ſectione, neque, prauis ſuccis referti, purgatione, antequam vel fuerit inciſa vena, vel medicamento expurgati ptiſana exhibeatur. Huius etiam ſorbitionis vſus ijs damnatur, in quibus cibus è ventriculo non deſcẽderit, & qui alui excrementa non eiecerint. Studeat igitur Aſsiſtens, vt, antequam ptiſanæ ſorbitio ægro exhibeatur, ſi ſponte aluus non fluxerit, iniecto molli infuſo prouocetur. tempus vero in exhibendo eligatur, quo morbus ad inclinationem ſit propior. ſi enim manibus, pedibusq. frigentibus, vel ægro ſummo calore æſtuanti ſorbitio propinetur, ex Hip. 4. acut. t. 39. maxima incommoda inferentur. Curet itaque Aſsiſtens, vt neque corporis pars calidior, altera frigidior ſit, & febrilis calor, capite, ac pectore relicto, ad pedes deſcenderit, cum ptiſanam, aut aliam dabit ſorbitionem, vel ſaltem vt in febribus continuis, calor per omnes corporis partes fuerit æque diffuſus. Et, quoniam ex Hip. 1. Aph. 16. victus humidus febricitantibus omnibus, & ijs præſertim, qui tali victu ſunt aſſueti, ideo ſorbitiones pro febricitantibus inſtitutæ eſſe videntur. nam, cum ij, ob oris ſiccitatem, mãdere non poſsint, nulla alia re, quam ſorbitionibus, poterant enutriri. Ad id etiam hoc vtilitatis accedit; huiuſmodi alendi conſuetudinem, vim etiam medicamenti obtinere. Calor enim febrilis, cum omnes fere corporis humiditates conſumat, atque abſorbeat, niſi victu humido, & frigidis, humidisq. medicamentis obſiſteretur, ad ſummam tabem, & ſiccitatem ægrotantium corpora deuenirent. Verum noſtri temporis Medici, vt ſæpe in praxi animaduerti, ſtatim, atque pedes incaluerint, alteratum iuſculum iubent ægris offerri, in ipſo videlicet febris augmento, vel ſtatu, cibum vero in longum protrahi; & id in omnibus fere febribus, nulla morborum, aut temporum habita diſtinctione. qui ſi Hip. de ratione victus, & Gale. in lib. met. med. ſententias perpenderent, omnino ab hac conſuetudine recederent. Neque auſim negare, in pluribus ſæpe morbis contingere, tantam bilis copiam ad os ventriculi redundare, vt, niſi ex Celſo huiuſmodi ſorbitionibus, & iuſculis noua materia cũ putrida miſceretur, vel ægri perducãtur ad ſubitum interitum, vel ita vires labefactẽtur, vt, niſi aliquo alimento in ipſo augmento, aut ſtatu ægrum reficiamus, is ex hac vita ſit diſceſſurus. Verum tamen, niſi hæc ægro ſuperueniant in ſorbitionibus exhibendis,

hibendis,ſemper inclinationis ſaltem principium erit expectandũ. Vtimur præterea ſorbitionibus, in quibus vel longitudine,vel prauitate morbi, virtutes omnes proſtratæ ſunt, vt, niſi parum, & ſæpe,quemadmodum præcipit Gale.1.Aph.nutriamus,ij à morbo omnino deuincantur. Propterea prudens Aſsiſtens, & ſæpe pulſus pertractando,& accidentia,ægriq. ſtatus contemplando, ſi eum vſque ad morbi declinationem perdurare non poſſe coniectura auguretur, vel ita ad os ventriculi bilis regurgitet, vt ſuffocationis immineat periculum; virtutis ſuſtinendæ, & nouæ materiæ cum putrida miſcendæ, occaſione coactus,audacter huiuſmodi ſorbitiones exhibeat.Morbi etiam quam plurimi, in quibus ægroti cibum dentibus conterere non valent,ſorbitiones expoſtulabunt.Partes denique Aſſiſtentis erunt, ex quibus fiant ſorbitiones, præuidere. nam, modo ex pulli,vitulæq. carnis iure, modo ex contuſis carnibus, & exiguo pane permixto,modo ex carnibus ad conſumptionem decoctis,modo ex iure,& ouorũ vitellis admixtis,modo ouorũ, vitella ipſa ſorbenda exhibentur.in quibus magna opus eſt cura. ſi enim ſuccipleno corpori, aut impuro exiſtẽti, ab Hip. ptiſanæ vſus interdicitur, multo magis à carnium contuſo, & conſumpto, vt ita dicam, erit abſtinendum.Itaque Aſsiſtens,ægrotantis virtute,& magnitudine morbi perſpectis, ſi ſorbitio danda ſit, antea, an tenuior, quale eſt ſimplex pullæ iuſculum;an plenior,quale carnium contuſum conueniat,præcognoſcat. Hæc autem certis cancellis minime poſſunt definiri,niſi & ægroti vires,& morbi magnitudo, & ſtatus intelligantur. omnia præterea, quæ ex Hip. & Gale. ſententia de ægrotantiũ victu ſuperiori capite diſputaui, ad ſorbitiones exhibẽdas poſſunt accommodari.Illud etiam ex Gal. 2. Met. animaduertat Aſsiſtens, nonnullos inueniri,qui in ſyncopim ſæpe incidant: quæ cum ex recurſu bilis ad os ventriculi fiat, niſi ſtatim rebus ſtipticis, vt pane madefacto in vino auſtero, vel granatorum ij nutriantur, innumera ſuperueniant incommoda. Vitella vero ouorum,vbi & oris ſiccitas,& in ventriculo ſummus æſtus incumbit,ſi ſorbeat æger, quãuis ea,vt dicitur,quantum penderent,tantum nutriant,vt apud ignem indureſcunt,ita in ventriculo comburuntur,& in bilem conuertuntur. Ideo, ſi in æſtuoſis affectibus offerantur, iuſculis immiſceantur: iuris enim humiditas, quo minus indureſcant, prohibebit.

De Aſsiſtentis Officio in ſecanda vena.
Cap. VII.

HIp. lib. de flatibus dicebat medicinam adiectionem, & ablationem eſſe, vt, quod ſuperuacaneum eſt, tollat, & euacuet; quod nimis vacuum, & exinanitum, repleat, & inſtauret. &, quoniã morbi vt plurimum, noſtris præſertim temporibus, ex repletione ortum habent; ideo mirum non eſt, ſi in initio Medici toti in humorũ euacuationem incumbant. Accerſitus igitur Aſsiſtens in ipſo morbi principio perpendat, animoq. euoluat, an ægroti affectus ex nimia oriantur euacuatione, vel expletione. qui enim ex inanitione proficiſcuntur morbi, commoda alimentorum exhibitione, & cauſarum, quæ euacuandi vim obtinent, ablatione, & deperditæ ſubſtantiæ inſtauratione ſanantur. Nunc autem de his, quæ à nimia repletione proueniũnt, diſputabo. Neque vero ab hac oratione alienum eſſe putaui in pręſenti, & quibus ſanguinis miſsio, & quo morbi tempore, & ex quibus venis, & partibus conuenit, quam paucis enarrare. Omnes enim, qui ex humorum copia proficiſcuntur, morbi euacuationem expoſtulare videntur. Nam exercitatorum habitus ex Hip. 1. Aph. 2. cum ad ſummam bonitatem peruenerint, niſi ſtatim ſoluantur, cum non habeant, quo progrediantur in melius, neceſſe eſt, vt decidant in deterius. Ideo non ſolum morbis iam procreatis, ſed etiam ijs, qui imminent, venæ ſectio conueniet. Nam, ſi omnes humores per proportionem, & comparationem quandam in nobis augeantur, plenitudo, ſeu pletoria ſolet appellari. cum autem vnũ ex his prædominetur, & ſua qualitate corpus infeſtet, cacochymia à Græcis fuit appellata. is etiam humor, ſi maxime cum ipſo ſanguine ſit admixtus, & ob meatuum conſtipationem in ipſis venis putredinem excitauerit, per ſanguinis etiam miſsionem erit imminuendus. Dicebat enim Gale. 2. met. c. 2. in omnibus affectibus ex meatuum obſtructione proficiſcentibus venæ ſectionem eſſe adminiſtrandam. at, ſi is à ſanguine ſeparatus, ac ſeiunctus ſit, tunc per medicamenta ſoluentia expurgabitur. Itaque in ſanguine mittendo illud, quod primo nobis perpendendum occurrit, erit, præuidere, an morbus ex ſuccorum copia, vel eorum fuerit genitus prauitate. Omnes vero affectus, qui vel immediate oriuntur, vel oriundi ſunt à ſanguine, per phlebotomiam ſoluũtur. Duo alia pręterea ſanguinem mittendum eſſe ſuadent, magnitudo morbi, & virium robur. ſed, ſi magnus ſit morbus, vires vero maxime proſtratæ, nos à

miſsione ſanguinis reuocabunt. magnus autem dicitur morbus, vel ratione partis, in qua eſt, vel ratione accidentium, ex Galen. 6. met. c. 2. & 4. met. c. 6. Quare, ſiue ſit magnus ex accidentibus, ſiue ex putredine, ſiue denique ex parte, dummodo ex eodem Gal. adſit pulſus magnus, vehemens, & æqualis, ſemper ſanguinis miſsionem ſuadebit. Vires vero dicuntur debilitatæ, vel ex nimia aliqua euacuatione, aut reſolutione, vel vi, ac prauitate morbi, aut copia ſuffocante, & ſupprimente ipſas virtutes. ſi vires ex nimia euacuatione debiliores euaſerint, etiam ſi adſit morbi magnitudo, ſanguinis miſsio fieri minime poterit. At, ſi vel vi, & prauitate morbi, vel excrementorum congerie fuerint oppreſſæ, aliqua tunc conueniet ſanguinis miſsio. nam ex eodem Gal. 2. met. c. 15. natura leuata, & tanquam ſarcina exonerata, id, quod reliquum eſt, aggreditur, concoquit, & expellit. Multa alia ſunt, quæ vel prohibent, vel ſuadent ſanguinem mittere. Gal. enim lib. de ſanguinis miſsione, & pueros ante decimum quartum annum, & vtero gerentes, & ſenes ipſos negat per ſanguinem eſſe euacuandos. Celſus vero lib. 2. c. 9. dicebat; Firmus puer, robuſtus ſenex, grauida mulier valens, ſi grauibus morbis corripiantur, tuto per ſanguinis miſsionem curantur. Quamobrem diligens Aſsiſtens, cum Medicis, perſpecta morbi magnitudine, & virium robore, ſtatutoq; cum ijs de ſanguine mittendo, chirurgum eligat in vena ſecanda apprime exercitatum, qui & ætate floreat, & oculis bene inſpiciat, & manus quam firmas, & ad agendum celeres habeat. vult enim Hip. artis miniſtrum tuto, cito, & iucũde operari. chirurgi vero lanceoli ſint maxime ad id præſtandum accommodati, parentur lintea, ne inficiantur, munda, lectoq; ſtrata, vaſa, quibus ſanguis excipitur, plura adſint. Etenim, vt Medici redeuntes vnamquamque ſanguinis extracti partem contemplentur, in pluribus vaſibus ſanguis conſeruetur. Verum, antequam Chirurgus ſe ad ſanguinem mittendum accingat, animaduertat Aſsiſtens, in quo ſtatu morbus fuerit. ex Gal. enim. lib. de ſanguinis miſsione, c. 7. & 9. met. c. 4. in miſsione ſanguinis non adſunt certæ, ac ſtatutæ horæ. poteſt enim quandocumque fieri. ſed, ſi neceſsitas non vrgeat, ſemper ſingularis acceſsionis inclinationem expectemus. Gal. enim in com. illius Aph. nimis ac repente euacuare &c. Natura, inquit, non patitur duas ad inuicem continuas afflictiones. Itaque, ſi vel iam febre ſit correptus æger, vel paulo poſt ea ſit acceſſura, quia in ipſo febris acceſſu maxima ſit inter morbũ, & naturam contentio, & pugna, vt & in ea natura maxime defatigetur, ac debilitetur, omnino à ſanguine mittendo cauendum erit. Sed id eſt eligendum tempus, quo ægri melius ſe habere videntur,

&, vbi aluus fluit, nullam aliam euacuationem moliemur. Neque, ſtatim, atque ægri ſomno ſoluti ſunt, ijs venam ſecemus, ſed antea per horam euigilent, & poſt venæ ſectionem ſomno ijs omnino interdicatur. Etenim Hip. lib.4. ſalub. vic. ratione t.15. inquit, Si quis poſt aliquam euacuationem, vel exercitationem dormiat, maiorē patietur laſsitudinem, non tamen propterea tota die poſt ſanguinis miſsionem vigil contineatur, ſed poſt duas horas, ſi cetera conſentiant, conquieſcat. neque ſtatim cibo inſtaurandi ſunt ægri, vbi ſanguis eſt miſſus, ex Gal.2. de ſanit. tuen. c.2. cum enim ex ſanguinis miſsione venæ exinaniantur, ſi vel potus, vel cibus exhibeatur, ea intra venas inconcocta attrahentur, & corporis ductus magis obſtruentur, præſertim ſi copioſa fiat ſanguinis miſsio. In ſanguine mittendo anni etiam tempora plurimi facienda ſunt. In ſummis enim æſtibus, maximisq. frigoribus, quæcumque præter rationem euacuationes fiant, ſummum afferent vitæ diſcrimen. &, ſi hiſce tēporibus, alias ob cauſas, ſanguinem mittere cogimur, à nimia ſaltē euacuatione erit abſtinendum. Quæ autem noſtri corporis venæ ſecandæ ſint, Oribaſius lib.1. c.10. dicebat, Si ad copiam tantum tollendam, venam incidimus, vt moris eſt, in initio veris, omnis vena ad incidendum eſt accommodata. Si vero non euacuationis ſolum, ſed etiam reuulſionis ergo venæ ſectionem moliamur, e directo partium, ad quas ſanguis fluit, venam ſecabimus. vt, ſi ſplen affectu, qui ſanguinis egeat detractione, laboret, venam ſiniſtræ manus, quæ prope anularem, vel internam cubiti ſiniſtri ſecabimus. ſi caput, & partes ad id pertinentes afficiantur, cephalicam. verum, ſi in toto humorum copia redundauerit, etiam ſi affectus in capite exiſtit, à baſilica euacuationis initium capiatur. Quidam enim non ſpernendus auctor, vbi humorū copia eſſet in corpore, præcipuusq. in capite affectus reſideret, ſi cephalicam aperiamus, maiorem humorum copiam in corpus confluere confirmabat. Tres igitur ſecantur in brachio venæ, interior, exterior, & media. interior, ijs cōfert partibus, quæ infra collum ſunt; exterior, in quibus capitis partes afficiuntur; media, vtriſque partibus inſeruit. Si vero vterus, renes, veſica, & ceteræ ſub hepate partes, aliquo laborent affectu, dummodo non inſit in toto humorum copia, venæ tali inciduntur, ita, vt in affectibus renum, veſicæ, vteri, teſtium interiores ſaffenæ, in articulari, podagra, iſciade exteriores aperiantur, maxima in ijs incidendis cura erit habenda. Etenim, cum media ſecatur, cauendus eſt qui ſub ea latitat neruus: multi enim ex compunctione illius nerui in conuulſionem inciderunt. in ſaffenis inueniendis ſummopere ſæpe chirurgi elaborant, in mulieribus enim multa carne refertis,

etiamſi

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

etiamſi pedes in aqua bene calenti detinentur, vt venæ magis ex calore intumeſcant, vix tamen detegi poſſunt. tunc ſcorificandus potius eſt talus, quam ægro ſpaſmi periculum inducendum. muſculorum tendones, cum in ijs partibus termineutur, ſi pungantur, dolorem parient incredibilem. Neque prætereundum eſſe arbitror, in ſingulari capitis affectu, venam ſæpe frontis incidi, & aliquando iugulares, & in coxendicis doloribus, ſciam vocatam venam prope genu ſecari. Arteriarum vero ſectio poſt aures, cum per ſe periculoſa ſit ex nimia ſpirituum euacuatione, tum vero à Medicis raro, & non niſi præſtitis alijs præſidijs, fieri ſolet. ſed, cum ſæpe vſuueniat, vt nonnulli ita animo imbecillo ſint, vt ex ſola ſectione in animi deliquium incidant, eos prudens Aſsiſtens non ſolum rationibus confirmare ſtudeat, ſed, ſi huiuſmodi ſymptoma vereatur, ſi præſertim bilis ad os ventriculi regurgitet, vel panem vino infuſum, ceteris non obſtantibus, vel cum zaccharo, & vino granatorum paratum exhibeat; &, ſi ſectio facta ſit, comprimatur, donec æger in priſtinum ſtatum fuerit reuocatus; &, ſi in media euacuatione id cõtingat, ſuppreſſo, & clauſo venæ orificio, in aliud tempus magis accommodatum reliqua transferatur euacuatio. Quare, ſi ex huiuſmodi accidentibus tantum ſanguinis mitti non poſsit, quantum morbi magnitudo expoſtulare videretur, quod vel de virium robore, vel de ſuccorum crudorum copia vereamur, ſi humores crudi prædominentur, prima vice parum ſanguinis mittatur, ex quo humores attenuentur, incidantur, & fluidiores reddantur, quibus redditis, ſecunda venæ ſectio adminiſtrabitur. Quantum vero ſanguinis vna vice extrahere debeamus, ex ægrotantis viribus, & morbi magnitudine conijciatur: naturæ etiam, & corporis temperies ad ſanguinem mittendum plurimi faciunt. quibus enim venæ amplæ ſunt, quique graciliores, neque candidi, aut molles, & effeminati, ij maiorem patiuntur euacuationem. qui contrario modo ſunt affecti, à nimia euacuatione exſoluuntur. Verum, cum fere ſemper detur mittendi ſanguinis facultas, in morbis præſertim, qui dant inducias, potius ſanguinis miſsionem in plures vices diſtribuerem, quã vſque ad animi deliquium euacuarem. nam, etſi Gal. 7. met. & lib. de ſanguinis miſsione, in principio veris in iuuene forti, vbi adſint pulſus magni, & pleni, venæ amplæ, ardenti febre correpto, iubet ſanguinem extrahi vſque ad animi deliquium, in multiſque afferit, ſola hac euacuatione febrem iugulaſſe; cum tamen ſæpe contigerit, vel medicorum imperitia, vel alio ſuperueniente ſymptomate, vt ægri, vna cum ſanguine, vitam effuderint, ſemper partita euacuatio mihi magis arriſit. Aſsiſtens autem, dum ſanguis fluit, pulſus

ſemper

ſemper præ manibus habeat;&,ſi eos imminui tremulos,& celeriores,& quaſi,vt dicitur,caprizare,vel ægrotantis oculos contorqueri, immotos fieri, animaduertat, venæ oſculum claudi ſtatim iubeat,& ægri vultus,& pulſus,vel frigida aqua,vel aceto roſaceo infundi.Neque,facta ſanguinis miſsione, ligatura cõtemnatur. nam, ſi arctius brachium obligetur,ex vulneris, & ligaturæ dolore,in brachium fiet humorum decubitus, & in tumorem eleuabitur; ſi vero lentius obligetur,ex motu in ſomno facto faſcia diſſoluetur, & tantus fiet ſanguinis fluxus,vt æger perpetuo ſomno conquieſcat.

De Aſsiſtentis Officio in applicandis cucurbitulis. Cap. VIII.

DIcebat Cel.lib. 2. cap. 9. ſanguinem inciſa vena mitti, nouum non eſſe; ſed, nullum pæne morbum eſſe, in quo ſanguis non mittatur,nouum eſſe. Hæc, quæ ab elegantiſsimo, & eruditiſsimo viro de ſecanda vena dicta ſunt,cucurbitulis applicandis tribui poſ ſunt. Ea enim noſtrorum temporum viguit conſuetudo in cucurbi tularum vſu,vt,nullo habito morbi diſcrimine, in omnibus fere affectibus cucurbitulæ applicentur; &,ſi quid homines, ſine Medicorum conſilio, in quoque affectu, tuto ſe præſtare poſſe arbitrantur, in cucurbitularum profecto adminiſtratione nullo putant Medicorum conſilio indigere. Verum,cum non ita ſeſe res habeat,Aſsiſtentes, & ægrotantium miniſtri hoc loco edocendi erunt, quantam in cucurbitularum vſu diligentiam debeant collocare. Nam, ſi ægrotantium corporibus,morborum magnitudine oppreſsis, alia accedant,quæ ijs laborem faciant, abſque dubio morbo ſuccumbant ne ceſſe eſt. Ideo, ante cucurbitularum applicationem, quid prius ſit agendum,quando,& in quibus affectibus conueniat,& in quibus dãnetur cucurbitularum vſus, quàm breuiſsime explicabo. Duo erãt apud veteres cucurbitularum genera, referente Celſo lib. 2. c. 10. æneum, & corneum. noſtris vero temporibus, quibus vtimur cucurbitulis, ex uitro conficiuntur vt plurimum: aliæ paruæ ſunt; & dicuntur corneæ,quas balneorum miniſtri in ſtufis,vt dicitur, quibuſcumque,nulla habita ratione,ſolent applicare;aliæ mediocres; aliæ magnæ, & perforatæ; & huiuſmodi noſtri barbitonſores, quibus etiam ſanguinis mittendi munus demãdatum eſſe videtur, vti conſueuere. Earum formam hic deſcribere, cum lippis, & tonſoribus,vt dicitur, nota ſit,ſuperuacaneum eſſe iudicaui. Prudens itaque Aſsiſtens,cucurbitularum miniſtro aduocato, ea, quæ ad earũ

vſum

vſum conuenire videntur, habeat parata. Verum, quia & cum inciſione, & ſine, cucurbitulis vti ſolemus, ideo, antequam ad eas applicandas accedamus, quid ante earum applicationem Aſsiſtenti perpendendum ſit, paucis demonſtremus. Oribaſius lib. 1. c. 13. & Aet. lib. 3. cap. 19. & Gal. 13. met. c. 19. & lib. de hirudinibus, & cucurbitulis, præcipiunt, vt nunquam cucurbitulæ, exiſtente in toto humorum copia, antequam corpus, vel per ſanguinis miſsionem, vel per purgans medicamentum fuerit euacuatum, & fluxus ſit in parte firmatus, loco doloris applicentur. Immo Paulus ita extitit in cucurbitularum applicatione religioſus, vt earum vſum, cum inciſione, præſertim loco dolenti, ante decimam quartam, etiam ſi præceſſerint communes euacuationes, maxime abhorreat: cucurbitularum inciſio fieri nunquam debet, niſi tumor, & rubor appareat in parte, cui affiguntur. Quod ſi incidere velimus, bis, terue prius applicentur, vel in ipſa parte fomenta fiant, donec tumor apparuerit: quo exiſtente, ſi cetera conſentiant, tuta erit incidendi, & per cucurbitulas ſanguinis extrahendi occaſio. Sed, ſi in toto vel humorum copia non adſit, vel uires ad tantam imbecillitatem redactæ fuerint, vt venæ ſectionem ægri pati minime poſsint, tunc cucurbiculæ cũ inciſione vicariæ erunt miſsionis ſanguinis. in earum autem vſu moderatione vtantur Aſsiſtentes. ex Celſo enim, ex cucurbitularum frequentia oculi debilitantur; quemadmodum ex frequenti phlebotomia ægri incidunt in paralyſim. cum enim magna ſpirituum in ſanguinis miſsione fiat euacuatio, totum corpus infrigidabitur. pro partium varietate, quibus applicantur cucurbitulæ, diuerſarum venarum habent rationem. ſi enim ſpatularum parti ſuperiori, humeralis; ſi inter ſpatulas, venæ communis; ſi ſuper nates, & renes, baſilicæ, & interioris. ita teſtatur doctiſsimus auctor, cuius ſcripta adhuc in lucem non prodierunt. Quatuor potiſsimũ ob cauſas cucurbitulæ cum inciſione apponuntur: primo, ad materiam loco impactam euellendam. Dicebat enim Gal. lib. de cucurbit. ad extrahendum ex profundo nullum aptius inueniri remediũ. ſecundo, ad retinendos ſpiritus in ipſis membris. ex venæ enim ſectione plurimi inaniuntur. tertio, vt tuti reddamur ab inanitione membrorum principalium; cucurbitulæ humores ſolum cuti infixos euacuant, neque ad principalia membra extenduntur. poſtremo, vt materiam à partibus nobilioribus ad ignobiliores diuertamus, ex Gal. 4. acut. t. 15. At vero ſine inciſione cucurbitulas imponimus, ex Auic. 4. 1. c. 21. vt materia fluens ad contraria trahatur, vel vt apoſtema in profundo exiſtens ad exteriora educatur. poſtremo, vt dolor ſedetur, ex Gal. 12. met. c. 8. & vt os laxatum, & à pro-

prio loco ſemotum in eum reducatur. ſæpe etiam, nulla præcedende totius euacuatione, dummodo non adſit humorum copia, ſine inciſione cucurbitulæ applicantur. Maxime autem Aſsiſtenti condúcit, quibus in locis, & quas ob cauſas, quibus morbi temporibus, in quibus affectibus, cucurbitulæ ſint applicandæ, præcognoſcere; Nam & capiti, collo, ſpatulis, coxis, pulpis crurium, inguinibus, vmbilico, ſub mammis, nonnunquam pectori, ventriculo, vniuerſo denique corpori cucurbitulæ apponuntur. Gal. 3. de locis, c. 14. ad memoriam reuocandam, deraſis capillis ſincipiti cucurbitulas applicabat. & in curanda alopecia ex eodem 1. cata. c. 2. maxime conferunt capiti affixæ cucurbitulæ. & 13. met. materiam fluentem ad oculos cucurbitam occipiti applicatam diuertere; in mali moris febribus ad humores è centro ad circunferentiam euocandos ſine inciſione adhibitæ per vniuerſum corpus maximam afferunt vtilitatem. In deſperata vero angina, vbi ſuffocatio imminet, ſupra collum affixæ cucurbitulæ ſæpe ſolent ægrum ex morte in vitam reuocare: in anhelitus anguſtia, cucurbitula pectori appoſita, ex Gal. 2. met. in fine maxime poteſt ad reſpirationem faciendam; ad flatuoſos vero, & colicos dolores ſedandos, vmbilico tenus ſine inciſione magna affixa cucurbitula ex Gal. 12. met. c. 8. tanquam incantamẽtum eſſe voluit; in deperdito appetitu, ventriculiq. imbecillitate, ſi eius regioni applicetur, ex eodem Gal. 12. 13. & 14. met. maxime ipſum confirmat, atque corroborat: ad calculum autem ex renibus per vreterarum vias ad veſicam attrahendũ prope inguina cucurbitula affixa tantum trahendo poteſt, vt ſolo ſæpe hoc præſidio ab extremis cruciatibus ægri vindicentur. Ad ſciaticos etiam dolores comprimendos præcedentibus cõdicionibus ſupra enarratis nihil cucurbitula ipſi ſciæ applicita præſtantius. Ad nimium vteri fluorẽ ſiſtendum cucurbitula ſub mammis appoſita plurimum valet. &, ſi ex naribus nimia fluat ſanguinis copia, ex dextra, hepatis regioni; ex ſiniſtra, lienis, cucurbitula ſine inciſione affixa firmat huiuſmodi fluxum. In morſibus vero venenoſis ad virus extrahendum ſi cũ ſcarificatione loco demorſo adhibeatur, & ad prauas parotidas, ad extra euocandas prope aures cucurbitula affigatur, nullum poterit validius, aut vehementius inueniri præſidium. In morbis autẽ, qui in cute effloreſcunt, communibus factis euacuationibus, ad materiam illam in cute ebibitam euacuandam, cucurbitulæ cum inciſione ſummæ ſolent eſſe vtilitatis ad retenta menſtrua prolicienda, prius inciſa tali interiori vena. &, attenuatis humoribus, coxis, ſine ſcarificatione, adhibitæ cucurbitulæ, ſummopere profuerunt. Sed, ne in affectibus, quibus cucurbitulæ conueniunt, enumerandis ab

inſtituto noſtro recedere videar; ea ſit Aſsiſtētis cura in cucurbitulis applicandis,vt omnia,quæ ad eorum vſum pertinent, optime calleat. ſæpe enim miniſtrorū imperitia,niſi diligēs Medicus adfuerit, plurima ægrotantibus importauit incommoda. nam cucurbitulæ homini bene carnoſo multo igne applicitæ tantum intra ſe carnis attrahunt, vt non ſolum dolores acerbiſsimos pariant ægrotantibus, & in periculum conuulſionis deducant; ſed etiam ita carnem adurunt, vt ægri in ignem iniecti eſſe videantur. Quare, habita inter Medicos de cucurbitulis adhibendis deliberatione, vel,vt ſæpe euenire ſolet,ſubitis ſymptomatibus aduenientibus,quæ applicationem cucurbitularum Aſsiſtenti ſuadeant,vt in doloribus colicis,& nephriticis, maxime & tempus, & locum, & affectum ipſum ſecum perpendat,atque euoluat,ne quid temere ægrotanti adhibuiſſe videatur; cumque decreuerit eas affigere, miniſtrum idoneum, & in hac facultate maxime exercitatum,iubeat aduocari;qui & cultros inciſorios habeat, & cucurbitulas ad id accommodatas. interrim linteamina,quibus ante cucurbitularum adminiſtrationem frictiones fiant,omni ſorde vacua,& perpolita parentur. lumen adſit, ex cerea candela accenſum;ex qua ignem intra cucurbitam excipiat; miniſter vero in affigendo ſumma vtatur celeritate. quibus applicitis,cooperiatur æger per ſemihoram, vel quoad coniectura aſſequi poſsit,cucurbitulas ex ſententia attraxiſſe. in his vero euellendis,ſi id difficile fiat,iubet Oribaſius cucurbitulas ſpongijs aqua calida plenis circūdari: ſiquidem ita remitti ſoleant. tamen qua maiori poteſt miniſter vtatur diligentia. &, ſi tumor, ac rubor fuerit in parte excitatus, & velit incidere, exigua vulnuſcula circumcirca tuto,cito,& iucunde, ſæpe inſufflando, excitet,& iterum cucurbitula exiguo igne accenſa vulnera illa comprehendat,tantumque ſanguinis extrahatur,quantum & morbi, & ægrotantis vires requirere videbuntur; amotis autem cucurbitulis,vulnera,vel oleo, vel butiro liniantur. At, ſi ſine inciſione adhibendæ ſint cucurbitulæ, vel ad ſedandum dolorem, vel ad reuellendum, vel ab intra ad extra euocandum, vel aliquid è loco dimouendum, toties cucurbitulæ affigi debent,donec vel æger ferre potuerit, vel affectus ipſe patiatur. Et, quia vt plurimum in partibus multa carne refertis, magna,quæ in ſummo orificium habeat,cucurbitula vti ſolemus, dum affigitur cera,oſculum claudatur;cum euellitur,aperiatur. ſanguis autem extractus in vaſe aſſeruetur, vt Medici tum de eius copia, tum natura, iudicium facile ferre poſsint. In omnibus vero morbis, qui certos habent acceſſus, vel multo ante acceſsionem, vel in ipſa inclinatione, non ſolum cucurbitulas applicabimus, verum

etiam nullum loco remedium, niſi neceſsitate coacti, in ipſis acceſſionibus adhibebimus.

De Officio Aſsiſtentis in applicandis Hirudinibus. Cap. IX.

ET ſi Alexander Trallianus cap. de melancholia, hirudines, tanquam peſtem, eſſe fugiẽdas ſuadet, noſtris tamen temporibus earum vſus ita percrebuit, vt neque mulier, neque vir acuto morbo corripiatur, in quibus hirudines, vel hemorrhoydibus, vel naribus non applicentur. Ideo, quæ Aſsiſtentis ſint partes in earum vſu, hoc capite breuiter demonſtrabo. Hirudines, quæ in hominum affectibus ad ſanguinem extrahendum adhibentur, eligantur minutæ, parui capitis, circa ventrem rubeis maculis dorſum, viridibus diſtinctæ: ex dulcibus, & currentibus aquis, in quibus pernatet aranea, colligantur. ex cœnoſis enim aquis nimis ſordidæ, & ad id opus ineptæ procreantur. neque ſtatim atque applicare velimus, ex aquis ſint depiſcatæ, neque paſtæ, ſed ante menſem captæ in pura, ac dulci aqua expurgandæ contineantur; tertio quoque die, in initio præſertim, aqua ijs permutetur; hieme loco calido aſſeruentur: nam paludum aquæ, hieme, in profundo, vbi commorari ſolent, cũ incaleſcant, ſi vaſibus vitreis, vt aſſolet, incluſæ, ſummo frigore corripiantur, intereant omnes neceſſe erit. locus autem, cui hirudines erunt affigendæ, omni ſorde vacuus, neque oleo, aut aliquo inſuaui odore redoleat. etenim & circa ani podicem ad hemorrhoydas aperiendas, & narium venis internis, & poſt aures. In pueris vero, venis, quæ ſitæ ſunt in brachijs, ſolent applicari. Antequam autem affigantur, vel aqua tepida locus foueatur, vel pipionum, aut alterius animalis ſanguine obliniatur, vt eius ſuauitate ad venæ morſum alliciantur. &, quia, donec ſanguine expletæ fuerint, ita inhærent, vt euelli non poſsint, permittendæ ſunt, vt ex ſe ipſis concidant. Verum, quoniam ſanguis, qui ex eorum morſibus emanat, vel lineis pãnis colligitur, vel in aqua calida ſeſsione facta cotyla excipitur, in debilibus, & ijs, in quibus vel animi deliquium, vel vertiginoſum effectum pertimeſcimus, cubile recubentibus, linteis Aſsiſtens colligi iubeat. quibus autem uires conſtant, & ſine alicuius ſymptomatis periculo poſſunt aſsidere, ij poſtrema excipiendi ratione vtantur. poſtquam hirudines conciderint, iubet Oribaſius lib. 1. cap. proprio, ad venenum, quod hirudines ſolent infigere, extrahendũ panno in aqua calida madefacto, vel cucurbitula ſuper impoſita e-

uelli.Illud vero in hirudinum applicatione Aſsiſtenti negotium faceſſere ſolet,qu od ſanguinis fluxus vix comprimi poſsit. Quare, ſi nimia videatur extracti ſanguinis copia, quibus poterit præſidijs venarum oſcula occludere,ac reſerare,conabitur.Itaque puluis ex deraſo corio,ex fuligine,bombace aduſta, ex pilis leporum aduſtis, ex bolo armeno,ex gypſo cum vitello oui,admixto bene prius ablu to orificio,& virulentia,quam reliquerunt aqua calida extracta,venarum oſculo imponatur, conſtringaturque, ac tamdiu coarctetur locus, donec omnis deſtiterit fluor. In quibus vero affectibus, & quo morbi tempore conueniant hirudines, paucis percurrere, non alienum ab hac tractatione eſſe exiſtimaui.In affectibus ab atro hũmore ortum ducẽtibus per hirudines hemorrhoydas aperire in aſſuetis,præſertim præcedẽtibus vniuerſalibus euacuationibus,ſemper optimum eſſe iudicaui. in inſuetis vero,etiam acutis affectibus laborantibus,quamuis à capite reuellere velimus, hirudinum vſus mihi nunquam ſatisfecit.Auic. enim 4.1.c.22.& Gal. lib.de ſanguinis miſsione,docent aliam medendi viam. nam, vt à capite reuellamus,ſi ex talo ſanguinem extrahimus abſque uirium iactura,& cucurbitulis, frictionibus, clyſterijsq. facilius, ac tutius id conſequemur. ſin autem naribus ad caput euacuandum affigantur hirudines, præterquam quod maior ſanguinis hemorageiæ imminebit periculum, niſi corpus bene expurgatum ſit, etiam ſi calido affectu æger laboret, & huiuſmodi fluxui ſit aſſuetus, nec natura vnquam tentauerit, maior potius ad locum affectum materia demandabitur,quam vlla fiat vtilis euacuatio. ſin autem loco demorſo ad venenum extrahendum hirudinibus vti velimus, eandem habẽt cum cucurbitulis facultatem.

De Aſsiſtentis Officio, in aluo, initio morbi per medicamentum ſoluenda. Cap. X.

SI in aliqua re Hip.Gal. & Auic. ſententiæ inter ſe diſcrepare,ac diſſentire videntur,in humoribus profecto,ſiue in initio, ſiue in ipſius morbi vigore euacuandis, tot exortæ ſunt recentiorum auctorum opiniones, eiuſdem Galeni, Hip. & Auicennæ auctoritate firmatæ, vt, quid potiſsimum agendum ſit, adhuc in lite verſetur. Etenim, qui in morborum principijs medicamentum purgatoriũ propinandum ſuadent,ad id his maxime rationibus,& auctoritatibus adducuntur. 1. Aph. dicebat Hip. cum materia turget, eadem die eſſe medicandum.Idem teſtatur Gale. 6. epid. & 4. Aph. & Aet.

lib.3.ex Anthyli ſentētia idem comprobauit.& 2.Aph. dicebat Hip. in principijs morborum,ſi quid videtur mouendum,moue.vbi Gale.in com.inquit,cum morbum ad ſalutem tendere ſperamus,in initio tentanda ſunt præcipua remedia. hæc autem ſunt venæ ſectio, & nonnunquam purgatio,quorum neutrum morbo conſiſtente adhibere oportet, quod eo tempore præcipuæ criſes fiant, quæ vt facilius eueniant, ſatius eſt circa principia euacuare, quo minorem iam factam materiam natura valeat facilius concoquere. & Auic. ex Galen.de eretis,4.1.dicebat,Cum non fuerimus ſecuri, quod ægri vſque ad morbi maturitatem perdurare poſsint,euacuabimus, facti prius tuti de craſsitie, & tenuitate humoris. & idem auctor alibi dicebat,Cum times victoriam humoris,nihil cautius euacuatione;&,ſi non eſt digeſtus,non moueas,niſi in principio.Multæ alię ex Auic. ſententiæ colliguntur, in quibus auctor ille in principijs morborum materiam eſſe purgādam ſuadere videtur. At vero, qui in initio morbi purgationem damnant,has potiſsimum rationes in medium afferunt.Gal.1. prorit. 2. dicebat, Aluus in quouis morbo fluens,ſine concoctionis ſignis nihil iuuat; ſi vero implacidius operata fuerit,noxam etiam affert.& 1.epid. ſec.2.& Hip.4. de ratione victus, dicebat, Corpus quieti permittere, ac contegere oportet, mulſam aquoſam, & ptiſanæ cremorem ſorbendum dato,ventrem ab initio molli clyſtere duces.ſed medicamenta purgantia non admouebis. ſi enim ventrem moueris, materia non maturabitur, febriſq; citra tum ſudorem, tum iudicationem in longum protrahetur.Vbi Gal.in com.addit,neque in principio eſſe violenter refrigerandum,neque calefaciendum,ſed leniendum,& in maturationem incumbendum.Huius autem ſententiæ rationem addit Galen.quoniam in principio morbi purgantia medicamenta non conueniāt. & Hip.lib.de purg.med.ita aſſerebat,ijs, qui validis febribus corripiuntur, vſque ad remiſsionem purgantia medicamenta ne dato, ſaltem,ne citra decimamquartam diem. & Gal.2.acut. de cura doloris ſub ſepto tranſuerſo. vbi Hip. videtur ſuadere purgationem, apertiſsimis verbis damnat in principio purgationem. & eo Aph. Hip.concocta medicari, & non cruda neque per initia, & corpora, cum quis purgare voluerit,ea fluida facere. Nunquam profecto dicendi finem facerem,ſi omnes auctorum de hac re ſententias in medium afferre velim. Verum, vt præclariſsimorum auctorum dicta intelligantur,inter ſeſe diſtinguenda, ac ſeiungenda ſunt. Etenim Gal.etiam ſi in initio morborum curationem per medicamenta ſolnentia damnet,in alopetia tamen, initio,nulla concoctionis habita ratione,corpus ab excrementis euacuat. & 4. met.in oculorum affectibus.

ſectibus. & Auic.& omnes, qui de morborum curatione ſcripſerũt, vel ante venæ ſectionem, vel poſt ſtatim, per caſsiam, aut leniens aliquod medicamentum corpus leniri præcipiunt. Iccirco, antequam de medicamento exhibendo in initio morbi ſtatuatur, hæc ſummo ſtudio, & animi contemplatione præuidenda, & perpendenda erunt. principio, quæ ad purgationem corpora inepta iudicentur. nam Gal. 1. Aph. dicebat, Qui multa cruditate laborant, quique tenaces, ac craſſos cibos ſumpſerunt, & quibus extenta, & inflata ſint hypocondria, aut vehementi flagrant incendio, & vrinæ igneæ, & quibus in aliquo viſcerum eo in loco exiſtentium adeſt inflãmatio, omnes hi haudquaquam apti ſunt ad purgationes. etenim corpora, cum quis purgare voluerit, ea prius fluida facere oportet, & concocta medicari, & non cruda. Illud præterea ſummo ſtudio, & iudicio eget, ſtatim atque ad ægros in initio accedimus, præuidere, an humores fluant adhuc, vel ad fluendum parati ad aliquã partem, vel in parte firmati, impactique ſint. Si fluant, an partem aliquam nobiliorem occupent, vereamur. Quod ſi ita eſſe intelligamus, omni conatu, ac contentione eos ad contrariam partem reuellere, ac reuocare debemus. Ideo, ſi ægrotantis habitus ſuperius deſcriptus non repugnet, ſine vllo dubio non ſolum lenienti medicamento, ſed etiam purgatorio in principio morborum vtemur, ac propinabimus. idque Hip. & Gal. voluerunt, cum dicebant, In principijs morborum ſi quid videtur mouendum, moue; &, dum materia turget, eadem die eſt medicandum. At, ſi humores membris ipſis infixi, ac firmati fuerint, maturatione potius, quam purgatione egebunt. Ad id præterea animaduertendum accedit, videre, an febris vehemens ſit, vel leuis; & tantum temporis interſit, quo medicamentum exhibitum ſuum munus in euacuando præſtiterit. Si hæc ita ſe habeant, & corpus pluribus excrementis redundare videatur, minime erit illorum excrementorum damnanda euacuatio. At vero, ſi morbus exiguus ſit, & ſuapte natura ſuperaturum ſperemus, vel in parte impacti ſint humores, vel ſumma ſitis, & oris ſiccitas, & febris vehemens, omnium & lenientium, & purgantium medicamentorum per os exhibitio erit improbanda. Aſsiſtens, qui ſuam etiam in Medicorum Collegijs ſententiam eſt dicturus, hæc omnia perpendere, ac diſtinguere debebit. &, ſi iuſtas ob cauſas medicamentum, ſiue leniens, ſiue purgans, in initio exhibendum eſſe ſtatuatur, omnia, quæ in eo medicamento ingrediuntur, à Medicis recipiat, atque cognoſcat. accerſito deinde pharmacopœo, ſtudeat, quoad fieri poteſt, ea, quæ ingreſſa ſunt in electuario, cognoſcere, ſi ſimplicia ſint, vt caſsia, manna, rhabarbarum, an in ſe omnia

nia ea contineant, quæ auctores ad eorum bonitatem requiri præceperunt, intelligat. Tempus propinandi eligatur, quo omnia accidentia remiſſa, & æger leuius ſe habeat, ac coniectura auguretur tẽpus, quo morbus accedere ſolet, ne & tempus acceſsionis, & medicamenti ſolutio ſimul coincidant. magna enim ex duabus ſimul afflictionibus vis ipſi naturæ infertur. Sed, cum ex ægrotis multi repe riantur, qui in forma boli medicamenta ſumere non valent, ijs eiuſ dem facultatis medicamenta ſorbenda exhibeantur. &, ſi in pluribus, teſte Hip. 1. Aph. in medicamento certe capiendo multa ſunt conſuetudini, & naturæ ipſius ægrotantis condonanda. Solent præterea ægri, ſtatim atque medicamentum ebiberint, multa nauſea, & vomendi deſiderio teneri. propterea diligens Aſsiſtens aquam frigidam habeat paratam, qua ſtatim à medicamento epoto ægri os abluatur, donec omni medicamenti odore, & ſapore ſit immunis. Verum, cum ſæpe ad os medicamentum regurgitet, & ſummos excitet ad euomendum conatus, nullum præſtantius equidem inueni præſidium, quam frigidiſsima aqua os ſæpe abluere, & in lecto vẽtriculi regionem calidis linteis fouendo conquieſcere. Cumq. hæc omnia ab Aſsiſtente ſint præſtanda; illud præ ceteris, medicamento ebibito, animaduertat, ne, ſi medicamẽtum leue ſit, vel dormiat, vel diutius à cibo abſtineat, præſertim ſi in forma boli accipiatur. Nam ex ſomno, & cibi abſtinentia, medicamentum, cum familiare ſit, in propriam ſubſtantiam conuertetur, &, eius vaporibus ſurſum eleuatis, caput maxime replebitur. At vero, ſi ſorbendo aſſumatur, & forte, & nimis ſoluens ſit, per horam iubeat ægrum conquieſcere. cum autem ſoluere incipiet, ne natura à ſuo munere diſtrahatur, ab omni ſomno cibo, & potu prohibeatur, niſi forte euacuando excedat, & uires proſternat. ſi enim de virium debilitate, & nimia euacuatione vereamur, erit omnino quieſcendum, & ſorbitio aliqua capienda. Dicebat enim Hip. Cum vis elleborum plurimum ſoluere, moue corpus; ſin minus, quieſce. Sed, cum ſæpe contingat, vt, abſorpto medicamento, tanto ſomno ægri premantur, vt ab eo ſolui vix poſsint, diligens Aſsiſtens, vel hiſtorijs enarrandis, vel de aliqua re graui diſputando, vel ſuaui harmonia, & cantu, vel grata lectione, ægrum vigilem reddat. Cum autem ſolutionis tempus acceſſerit, & æger ad excernendum conſurgit, ſi hiems ſit, veſtes, & cetera, quæ ægrotanti inſeruiunt, habeat parata. adſint ſerui, & alij ægrotantium miniſtri, qui ægrum in ipſa latrinæ ſella ſuſtineant. (nam ægri nonnũquam, vel ob nimiam euacuationem, vel aliquos acerbos humores ad os ventriculi confluentes, in ſyncopim incidunt) aqua, vel vino exhibito, vel odoribus naribus admotis, aut

vultu

vultu aceto roſaceo infuſo,eũ ſtũdeat reuocare;caueatque, ne,vt in ſciæ mulieres facere ſæpe ſolent,in medijs ipſis purgationibus,nulla cogente neceſsitate, iuſculum pullæ ſorbendum exhibeat. Hip. enim de ratione victus, conſuetudinem hanc maxime damnat. Dũ enim natura humoribus expellendis occupatur, iuſculo exhibito, præterquam quod vim medicamenti franget, ac debilitabit, ipſa virtus cõcoctrix ad iuſculum concoquendum conuertitur. at vero, ſi medicamentum in aluo ducenda diutius immoretur, tunc iuſculum,vt vires ſufficiant vſque ad perfectam euacuationem,ne in medijs euacuationibus, contra Hip. inſtitutum, pro manutenenda virtute,cogamur ſorbitiones dare,exhibeat. Cum autem Aſsiſtens medicamentum euacuationem perfeciſſe animaduertet,cibo minori & copia,& virtute ægrum inſtauret. etenim natura,à medicamẽti ſolutione quaſi defeſſa, in cibo etiam concoquendo magis defatigabitur,& à reliqua humorum euacuatione impedietur. Quare reprehendenda eſt eorum conſuetudo,qui ægrum eo die,quo medicamentum ſumpſit, vberius enutriunt. Aſsiſtens autem noſter, recta medendi methodo informatus, ſi mane æger medicamentum capiat, tenuiorem, ſero vero pleniorem cibum exhibeat: futura tamen acceſsione, vel ſymptomatibus minime prohibentibus.

De Aſsiſtentis Officio in miniſtrandis clyſterijs. Cap. XI.

CLyſteriorum vſum ab aue quadam emanaſſe, veteres ſcriptores teſtantur:quæ,cum multa ingurgitet alimenta,& alui ſiccitate maxime laboret, ebibita in magna copia aqua,per roſtrum ano immiſſum ſtercora foras obdurata elicit. quod, cum multi alij animantes,natura ſolum duce,in ſuis affectibus profligandis,ſibi ipſis præſidia comparent,de hac aue aſſerere, nec nouum, nec abſurdum eſſe iudicaui. Hæc autem clyſteriorum conſuetudo in morbis euincendis apud homines ita percrebuit, vt nulla videatur tutior via, ac medendi ratio. & ideo dicebat Auic. Et ſecuritas tua ſit in clyſtere. Quare,cum ita frequens, & tantæ ſit vtilitatis clyſteriorũ vſus, & ſæpe ægrotantium Aſsiſtentes ſine Medicorum conſilio,neceſsitate coacti,adhibeant,non à ratione alienum erit, omnia,quæ ex eorum adminiſtratione ægris commoda exoriuntur, & ex quibus comparentur,& quibus morbis vtilitati ſint, paucis pertractare. Nam & induratas fæces emolliunt,& naturam quaſi ſopitam,& ſui muneris oblitam,ad excernendum impellunt, inteſtina à prauis

humori-

humoribus expurgant, eorum intemperiem, ſiue calida, ſiue frigida fuerit, in priſtinum ſtatum reducunt, vlcera perſanant, ac ita ea clyſteres contegunt,& muniunt,vt humores acres, & erodentes per ea ſine aliquo eorum detrimento, aut contagio pertranſeant. deprauatos vero humores in ipſis inteſtinis imbibitos, nouam materiam cum putrida miſcendo, vt dicebat Celſus,ita benignos, & manſuetos clyſteres reddunt, vt ſuæ prauitatis ne veſtigium quidē relinquant. Vapores vero ad caput,vel eleuatos, vel in eo iam contentos, ita clyſteres retrahunt, vt plurimi ſolo hoc præſidio conualuerint. Ad flatus autem intra inteſtina coarctatos,vel diſcutiēdos,vel propellendos, nullum quiſquā præſtantius adinueniet præſidium. Ex varijs autem rebus pro morbi affectu clyſteres comparantur; ij vero, qui emolliendi vim habent, ex malua mercuriali, bliti,furfure,ſale,& oleo ſimul immixtis componuntur. inijciuntur aliquando clyſteres ex ſolo oleo; niſi id aliquod ſymptoma prohibeat;vt in ſenibus, ſi naturam ad excernendum excitare velimus, ad hæc,vel plus ſalis addimus, vel aliquod acre medicamentum,vt hieram,hieralocodion,benedictam, colocintidem, & huiuſcemodi alia quam plurima. At, ſi ab humoribus inteſtina expurgemus, pro peccantibus, & dominantibus humoribus immiſcebimus medicamenta,ſiue ſoluentia,ſiue lenientia;vt,ſi bilem, elec.roſ.meſ.vel de ſucco roſ. ſi pituitam, hieram, vel diafinicum; ſi atrum humorem, confectionem hamec,diaſenam,& alia huiuſcemodi medicamenta. inteſtinis vero aliqua intemperie laborantibus,coniectādum erit, ſimplex ne ſit, vel cum materia. ſi ſimplex,vel calida, vel ſicca, vel frigida, vel humida,calida,& ſicca,calida,& humida,&,habita coniectura,quantum à ſuo priſtino ſtatu defecerint huiuſmodi intemperies, tantum erit vel calefaciendum, vel infrigidandum, vel humectandum,vel exſiccandum, materia,vt ſupra diximus,ſi cruda, impacta,& firmata in ijs ſit,prius incidenda,ſeiungenda, & concoquenda,poſtmodum euacuanda. ſæpe vero euenit, vt ex alijs partibus humores ita acres, & praui ad inteſtina demandentur, vt ipſa exulcerent, atque dilanient. Quæ cum ita ſint, ea clyſteribus immiſceamus, quæ ipſis inteſtinis adhæreant, & quaſi contegant. vt eſt pinguedo renum arietis,ptiſana, mucilago pſilij,oui candidum. Sed, ſi vlcus in inteſtinis iam impreſſum ſit, & impurum, cum omnia vlcera prius à pure expurgari, deinde exſiccari expoſtulent, ea cum infuſis concoquemus,quæ maxime exſiccēt; ſed ab omni ſorde prius vlcus detergatur, melle roſaceo, aut terebintina. Verum, cū inteſtina,omnium & humorum,& excremētorum receptacula ſint, vlcera iam in his genita difficilis ſane erunt curationis. vlcus enim,

vt perſanetur, exſiccatione indigebit. at qui poterunt inteſtina exſiccari, ſi per ea continuo fluant humores? propterea, cum ea vlcera nobis exſiccare propoſitum ſit, ad validiora remedia recurramus, neceſſe erit: & in hac re nullum præſtantius inueni præſidium aqua Tettucij nuncupata, tum per clyſterem iniecta, tum per os aſſumpta; &, ſi cum ea pulueres, qui carnem procreare dicuntur, immiſceamus, vt thus, myrrhā, bolum armenum, & cetera huiuſmodi, nihil erit à nobis in curatione prętermiſſum. Si autē poſt medicamēti ſolutionem vereamur, ne aliquæ humorum reliquiæ in inteſtinis remanſerint, & ipſis detrimento ſint, ipſa inteſtina, vel aqua hordei cum zaccharo, & vitello oui, vel iure pulli, & zaccharo abluimus. Humores vero ad caput adſcendētes reuelluntur, ſi in infuſis betonicam, origanum, ſticados, ſaluiam, centauream, & coloquintidam concoquimus. nam, ſi à capite materiam retrahere, vt in ſoporiferis affectibus, apoplexia, vertigine, ex Gale. 13. met. c. 3. acrioribus vtimur clyſteribus. Flatus, ſpiritusq. in ventre retentos maxime diſcutit decoctio camomelli, aneti, rutæ, ſeminis aniſorum, feniculi, fenu græci, baccarum lauri, calamēti: ſed ex huiuſmodi flatibus, ita acerbis, & vehementibus doloribus premuntur ægroti, vt, niſi dolor ſedetur, in vitæ periculum inducantur. Ideo ex præcepto ipſius Galeni 12. met. ſedandus eſt dolor, cum is ſit vnum ex ijs, quæ maxime virtutem proſternant; & tunc ea, quæ leuandi dolorem vim obtinēt, hiſce decoctis immiſcemus, vt eſt philonium Romanum, perſicum, theriaca, mitridatum, & cetera, quæ in ſe opium cōtinent, quę quidē in nephriticis affectibus ſæpe maxime profuerunt, ſicuti etiā clyſteres ex oleo camomellino, anetino, rutaceo, quę vel per ſe ſola, vel cū decoctis admixta ſint. Et, ſi in omnibus inteſtinorū morbis, ꝓ morborū natura maxime conueniunt clyſteres, in febribus profecto, vbi medicamentorum exhibitio minime conueniat, cum fæces ex nimio febris incendio potiſsimum exſiccētur, ſi clyſteres quotidie inijciantur, dici vix poteſt, quantum commodi, vtilitatisq. afferant ægrotantibus. nam, quæ nocent ſanis, maius incommodum pariunt ægris. Caueat tamen Aſsiſtens in febribus ſemper ab acutis clyſteribus. Quamobrem is, qui à nobis informatus eſt Aſsiſtens, his omnibus commodis, quæ ex clyſteriorum adminiſtratione proficiſcuntur, bene cognitis, atque perſpectis, ſi ægroti domi parētur, pro ſimplicium natura, & forma decoquantur; ſi apud pharmacopeum, iubeat eum vti qua maiori poteſt diligentia; & ita ſint commode omnia admixta, vt vnius compoſiti formam præſeferant, ne oleum in ſuperiori parte enatet. terrea vero vt pulueres, & antidota inferius deſcendant. ſumma etiam in decocti copia, quod per clyſterē

erit

erit inijciendum,cura erit adhibenda. nam in colicis doloribus,nephriticis,in prægnantibus,& pueris,minor infuſi copia adminiſtrabitur. etenim, cum inteſtina, flatu, vel ab vteri fetu premantur, ſi nimia infuſi copia expleantur,dolorem potius, quam vllum afferũt leuamen. Miniſter vero, qui clyſterem inijciet, maxime caueat,ne inſtrumenti roſtrum,vel nimis acutum, vel aſperum ſit. Ideo prius oleo leniatur,neque in calore excedat,neque infuſum frigidum ſit. ex frigido enim, & tepido inteſtinorũ facultas debilitatur. ex Aet. lib.3. c. 159. ſi caliditate excedat, non ſolum ipſa aduret inteſtina, ſed ſuo calore humores inconcoctos,& plures,quam ratio expoſtulet,attrahet. tuto,cito,& iucunde inijciat,quo ab ægro recepto iubeat Aſsiſtens ægrum circum circa volui, ita, vt pedes ad ſuperiora,caput ad inferiora conuertatur.Studeatque, per ſemihoram,vt ſuum opus abſoluat,in ventre retinere:ſed,ſi ægri,dum infuſum intra corpus habent,torminibus corripiantur, pannis calidis admotis,dolor leniatur. at,ſi,vt ſæpe vſu venire ſolet, infuſum in ventre retineatur,vel ob ſpiritus circumuoluentes inteſtina, & commiſcẽtes ſe cum infuſo,vel ob fæcum ariditatem,ita, vt neque fæces, neque ipſum infuſum excernatur,æger deambulet,ſi virtus, & cetera patiantur,vel glande ex melle, & acri medicamento immiſſa ad excernendum alliciatur. Quod ſi hæc non iuuerint, alterum eiuſdem facultatis infuſum,addito vel elec. len. vel ſyr. roſ. ſolut.vel hiera, vel hieralocodion in ventrem infundatur. ex hoc enim fieri non poteſt,quin aliquid excernatur. Verum à clyſteriorum frequentia caueat Aſsiſtens. Raſis enim 9. ad Almanſorem in initio, frequentem clyſteriorum vſum valde inteſtina debilitare dicebat. Idem auctor 9.cont.2.& Auicen.16.fen.3.in doloribus colicis fortium clyſteriorum adminiſtrationem ieiuno ventriculo maxime damnant. nam ex vehementia doloris, & vi medicamentorum, quæ infuſo immiſcentur, trahitur infuſum vſque ad ventriculum, & ex colicoſit in ileum tranſitus, ita,vt ſtercora ipſa ore euomantur.Sin vero mulier ſit,cui clyſter inijcitur,id totum operis, honeſtatis, ac pudoris ergo, mulieribus relinquatur. neque, dum infunditur, nequedum in lecto circumcirca verſatur,neque dum aſſurgit, præſens ſit Aſsiſtens;ſed in altero cubiculo expectet;nec longius recedat; vt,ſi forte mulieri aliquid accidat,quam citiſsime ei præſto eſſe poſsit:ipſas autem miniſtras mulieres, prius de omnibus, quæ in clyſteriorum adminiſtratione agenda erunt, certiores faciat, atque erudiat; ne ipſius Aſsiſtentis negligentia aliquid prætermiſſum eſſe videatur. E lecto autem ægro egrediente ad excrementa excernenda,cauſæ ſint feneſtræ;ſi hiems,nec febris vehemens ſit,ignis in cubiculo accendatur;

cendatur;ſi æſtas,& febris vehemens,ſatis erit,vt, clauſis feneſtris, dum ſurgit, & in latrinaria ſella reſidet, æger ab externo aere muniatur. Interim albiſsimis linteis cubile ſternatur; vt, cum æger ad lectum reuertitur, ſi æſtate, linteorum frigiditate; ſi hieme, ſuaui eorundem caliditate à laboribus tum in clyſtere recipiendo, tum excernendo perpeſsis, maxime recreetur. Iam vero,& ab Aſsiſtente, & alijs miniſtris, æger in lecto collocatus, vt vires paulatim reſumat, neque ad cibum capiendum, neque erit ad ſomnum cogẽdus, ſi per vires licebit. Itaque paulo poſt, in lecto, reſumptis viribus, poterit ei cibus offerri,& eo citius, quo magis futuram acceſsionem, & virium debilitatem pertimeſcimus. At, cum plurimi hominum reperiantur, qui clyſteriorum vſum omnino abhorreant, vt ferrum potius, ignem,& tormenta quæque, quam ipſos clyſteres, paterentur, ijs, quantum vitæ periculum immineat, niſi Medicis, & Aſsiſtentibus pareant,& quam tuta, vtilis, facilisq. ſit clyſteriorum adminiſtratio, quibus poterit argumentis, ac rationibus demonſtrabit. Si vero neque rationibus, neque vlla alia re ad id remedium aſſumendum poterint perſuaderi, non iccirco ſine præſidijs erunt relinquẽdi, ſed ea, quæ aluum molliendi vim habent, vt prunæ, paſſulæ decoctæ prima menſa comedendę exhibeantur. ij autem, qui acerbiſsimis doloribus afficiuntur, ad eos remouendos,& clyſteres, & quidquid eis adiumento eſſe poteſt, patiuntur. ſed, ſi, dum clyſteres inijciendi ſunt, virtutem ita fractam, debilitatamq. inueniamus, vt ex eius adminiſtratione de vitæ periculo vereamur, omnino à clyſteribus abſtinebimus; ſed glandula ſtercora ex aluo euocare tentabimus.

De Aſsiſtentis Officio in humorum maturatione per ſyrupia facienda. Cap. XII.

HIp. 2. Aph. dicebat, corpora, cum quis purgare voluerit, eá fluida facere oportet. Vbi Gal. hunc locum exponens hanc Hip. ſententiam de humoribus craſsis, viſcidis, qui, antequam euacuentur, attenuandi, incidendique ſunt, intelligendam eſſe confirmat: quare non omnes humores præparatione,& concoctione videntur indigere. Fruſtra igitur Medici in omnibus morbis, tam à pituita, quam à bile ortum ducentibus, decoctis, ac vocatis ſyrupijs, humores præparare, ac concoquere dicuntur. Hanc autem difficultatem auget Gal. 7. met. qui tenues humores in ventriculi tunicis infartos per hieram in initio, nulla facta præparatione, expurgat, & in lib.

lib. quos,& quando purgare oportet.& Aet.lib.3.cap.22.ex Anthylo,ſeroſos,tenueſq. humores in principijs morborum expurgandos eſſe præcipiunt. Verum, quantum viri iſti, qui huic ſententiæ ſunt addicti,à veritate aberrent, paucis demonſtrabo;neque eorum rationibus difficile erit reſpondere. humores, craſsi,ſiue tenues ſint, vel putreſcunt, & febres, aliaque ſymptomata pariunt; vel nulla qualitate mutati,ſola copia excedunt, & ſeiuncti, ſegregatique ab alijs humoribus eſſe videntur. tunc,cum non immineat periculum, vt ex eorum agitatione,& medicamenti caliditate, febres augeantur,& iam apti,idoneique ſint ad expulſionem,Gale.& Aetij auctoritate confirmati, nulla concoctionis, aut maturationis habita ratione,eos poterimus medicamento euacuare. At vero humores,cũ putredine infecti ſunt, etſi eorum tenuitate facile medicamẽto ducerentur, quia tamen ab alijs humoribus minime ſeparantur, ac ſe iunguntur,ſed cum benignioribus commixti ſunt,ideo Medici, naturæ veſtigia inſecuti,quæ ex 4.Aph. 22. prius humores prauos, rebelleſque incidit, diſtinguit, concoquit, & demum expellit, antequam euacuationem per pharmaca moliantur, ſi qui ſunt, qui ad naturalem temperiem reuocari poſsint,tum ratione victus,tum alterantibus medicamentis,id efficere conantur. At, ſi ita à naturali temperie defecerint, vt cõtrariam prorſus naturam acquiſiuerint, ne reliqui benigniores ſucci, cum quibus immixti ſunt, in putredinem adducantur; (Morbida enim facta pecus totum corrumpit ouile,dicebat ille) eam,quam acquiſiuerunt,prauitatem comprimere, & benigniorem,quoad fieri poteſt, Medici alterantibus medicamẽtis reddere ſtudent;poſtmodum, ipſa natura coadiutrice,à bonis ſe iungunt, & vias, ſi quæ clauſæ, & obturatæ ſunt, reſerant, & aperiunt,denique medicamento eos foras detrudunt. & hanc medendi rationem non ſolum Hip.1. Aph. nos docuit, cum inquit, concocta medicari oportet, & non cruda; & corpora, cum quis purgare voluerit,ea fluida facere oportet;ſed etiam Alex.Tral.lib.1.cap.16. de dolore capitis à flaua bile,dicebat,bilis,vt ſuperuacanea,medicamentis eſt euacuanda,ſed prius corpus lauacris,fomentis,vnctionibus, cibis, potionibus erit humectandum, quia humor ſubactus, diſpoſitus, & concoctus, faciliori negotio à medicamento purgante euacuabitur.& Gal.2.medicam.ſecundum loca,frigidæ aquæ potum, quæ bilem incraſſet,& contemperet, præcipit exhiberi. Idem Gal.12. met. c.7. de cura doloris colici à bile,ſuadet potius alicam ad eam incraſſandam, quam ptiſanam,propinari. & Aet.lib.9. cap. 29.affectus ab humoribus acribus dependentes pręcipit incraſſari. Sed, quid ex riuulis aquam haurire elaboro,ſi ipſemet Gal. ex Hip.

ſententia,

ſententia, vbi corpora ſunt acribus humoribus infenſa, per incraſſantia medicamenta perſanauit? Cum itaque morbus in ſuo vigore conſiſtit, ex Hip. & Gal. decretis in morbi maturationem, & viarum reſerationem incumbendum ſit, non ſolum ratione victus, ſed etiam medicamentis alterantibus ad id accommodatis, naturæ id opus molienti idonea remedia ſubminiſtrabimus. Neque exigua erit hac in re Aſsiſtentis cura. nam, ſi hominem calido affectu, vt febre ardente, curandum ſuſcipimus, cum morbus hic ex acribus, calidisq. humoribus oriatur, ad eius vim, caliditatemq. comprimendam, & facultate, & actu frigidas potiones exhibemus. ita nobis teſtatum reliquit Galen. lib. de bonis, & malis ſuccis, & Hip. 3. de morbis, & lib. de affectionibus. &, cum, vt plurimum in æſtate, in iuuenili corpore huiuſmodi affectus generetur, id etiam, & anni tempus, & ægroti ætas, & corporis temperies ſuadebunt. ſed, ſi humores craſſos incidere, & attenuare, viaſque coarctatas aperire velimus, & hæc calida medicamenta expoſtulent, non ſolum ſuapte natura calida eſſe oportet, ſed, cum ægroto ebibenda proponuntur, actualem caliditatem debent continere, eoque magis, quo hiemis tempore is æger à nobis curandus ſuſcipitur. Verum, quoniam medicamenta, quæ id opus præſtant, certis anni temporibus vel exſiccentur, vel alias ob cauſas non reperiantur, ideo optime à maioribus noſtris inſtitutum fuit, vt aliqua alterantia medicamenta ſuo tempore collecta zaccharo, vel melle condita à pharmacopœis conſeruentur; & hinc ab Arabibus nomen rob. & ſyrapij fuit vſurpatum. Huius potionis exhibendæ tempus, etſi id potiſsimum, quo minus æger à morbo defatigatur, eligi debet, vt natura, hoc præſidio munita, ac corroborata, aduenienti morbo ſe vehementius obijcere poſsit; cum tamen Gal. in lib. met. ægro ſiti maxime æſtuanti, & huiuſmodi æſtus, & ſitis non niſi in morbi fiant vigore, frigidam aquã, ceteris conſentientibus, exhibendam eſſe ſuadeat; minime Aſsiſtenti errori dandum fore iudicabo, ſi vel ſyrapia, vel alia alterãtia medicamenta, etiam in ipſo morbi vigore propinentur. At, ſi ægrum omni affectu, & ſymptomate vacuum, & expeditum habere poſsimus, tunc ſyrapij ſumendi erit capienda occaſio. eo enim tempore natura, morbo minime oppreſſa, facilius ea, quæ ad ſui præſidium, & robur accedunt, recipiet, & conſeruabit. Ideo Aſsiſtens, optime, & morbo, & eius temporibus, ſymptomatibusq. perſpectis, quo maxime naturam quietem agere animaduertet, alterantia medicamẽta exhibebit: ſed omnia, quæ ad eorum cultum, & ornatum ſpectare videbũtur, commode parentur ab Aſsiſtente; & cum ſyrapia à pharmacopœis aſſeruata cum decoctionibus, & ſtillaticijs aquis immiſceri

miſceri ſoleant,& ex ea mixtione maxime conturbentur ægri,cum Hippocratis nuncupata manica clarificentur.Etenim,cum,vt plurimum,quæ eorum ſaluti conducunt, valde abhorreant, omnes rationes,& vias tentabimus,quo facilius,& ſine moleſtia ab ijs capiãtur. Vaſa vero, quibus ſyrapia ebibuntur, bene terſa,perpolita, ac lauta ſint, & aliquo ſuaui odore illita, vt, illius ſuauitate capti, æquius,& facilius aſſumant.Ex quibus autem ſyrapia conſtent,& eorum differentias,& quibus morbis accommodata ſint,ab ijs,qui de morborum curatione ſcripſerunt, ita docte fuit diſputatum, vt, ſi de hac re in preſenti verba facerem,viderer eadem ſæpe decantaſſe. Ideo Aſsiſtentem noſtrum ad horum clariſsimorum virorum ſcripta euoluenda cohortabor.

De Aſsiſtentis Officio in fotibus, lenimentis, emplaſtris, epithematibus, oxirodinis adminiſtrandis. Cap. XIII.

TAnta homines morbo aliquo correpti priſtinæ ſanitatis recuperandæ cupiditate tenentur,vt ſæpe,cum malum quam primum euincere, ac ſuperare concupiſcant,in grauiora vitæ diſcrimina inducantur. Etenim,ſi quæ imperita muliercula, ijs, vel incantationibus,vel fotibus,& emplaſtris aliquid iuuamenti polliceatur,ſe ſe totos eius curæ,ac medelæ tradunt,atque committunt, ita, vt eo medendi facultas deuenerit, vt nemo vel imperitiſsimus ſit, cui ſi quis affectu aliquo laborans proponatur, ſtatim ſe remedium ei opportunum adinueniſſe non arbitretur.Quæ quidem conſuetudo ita continuo ſerpſit,ac longius eſt diffuſa, vt,quæ apud veteres tanquã arcana, & in hac facultate maxime recondita viderentur, nunc in omnium ore verſentur.Et vtinam ex eorum cognitione hominibus aliqua vtilitas exoriretur. Nam, quemadmodum medicamenta ab erudito,& optime verſato viro humanis corporibus opportune adhibita manus Dei eſſe dicuntur, ita, ab imperito præter rationem adminiſtrata,plus quã grauiſsima peſtis, letiferumq. venenum calorem innatum depaſcunt,naturaleſq. habitus penitus corrũpunt. Quamobrem, ſi in aliqua re, & Aſsiſtentes, & omnium ægrotantiũ miniſtri,aberrare facile poſſunt, in fotibus profecto, & epithematibus,emplaſtriſq. applicandis vt plurimum decipiuntur.Nam,vt dicebat Oribaſius lib. 1. cap. 25. ſi totum corpus excrementis abundet, ex horum applicatione maior materiæ copia ad partem affectam trahetur potius, quàm aliquid diſcutiatur. Ideo in vnoquoque

que affectu quamuis exiguo, vbi in corpore, vel maximam excrementorum congeriem redundare, vel ſuperuacaneos humores in ijs ſupereſſe animaduertat, etiam in ipſis doloribus, niſi & humorũ quantitas fuerit deminuta, & corpus ab excrementis repurgatum, localia medicamenta nunquam audeat adhibere. nam, quamuis Gale. lib. met. in maximis doloribus, qui virtutem proſternunt, prius ſedãdum eſſe dolorem pręcipiat; cum tamen idem ſæpe afferat, dolores, vel ob nimiam humorum multitudinem ad partem confluentem, vel ob corruptos ſuccos ipſam partem labefactantes excitari, ſi hiſce doloribus ſuccurrendum ſit, id vel ſanguinis miſsione, vel purgatione faciendum eſſe demonſtrat. Qui autem cuicunque dolori, nulla totius habita ratione, ſtatim ad fotus, & cataplaſmata recurrit, non poteſt nõ maximis errorum laqueis irretiri. et, ſi Hip. de ratione victus, dolores pectoris ſedare calidis fomentis tentandum eſſe præcipit, id tamen de doloribus à flatu dependentibus, & vbi humores neque copia, neque facultate excederent, intelligebat, & vbi morbus non omnino cognoſceretur. Etenim alibi dicebat, Morbum cum quis non cognouerit, leue medicamentum adhibeto; ſin profuerit, iam curationis monſtrata eſt uia; ſin minus, ad contraria te conuerte. At vero, ſi, facta ſanguinis miſsione, & corpore ab omnibus excrementis vacuo, atque immune reddito, ita tamen materia loco infixa, ac firmata ſit, vt natura per ſe euincere, ac ſuperare non poſsit, tunc, ſi dolor præſertim adfuerit, quia de viribus pertimeſcimus, & affectus in longum protractus, curationem vix admittat, ad cutim rarefaciendam, eamque perſpirabilem reddendam, & ſuccos in ipſis partibus impactos attenuandos, ac concoquendos, fomenta, lenitiones, & cataplaſmata adhibemus. A propoſito certe aberrare viderer, ſi, ex quibus, & fotus, & lenitiones, & emplaſtra parentur, in præſentiarum vellem enarrare. nemo enim eſt, qui de re medica ſcripſerit, qui, factis communibus euacuationibus, multa tum ſimplicia, tum compoſita, & fomenta, & cataplaſmata, & lenitiones vnicuiq. affectui, & parti applicanda, non proponat; cumq. Aſsiſtentem noſtrum in doctiſſimorum Medicorum libris apprime verſatum eſſe velimus, in præſenti ad eos reijcio perlegendos. Vnicuique autem noſtri corporis parti, prout ijs videntur indigere, & fomenta facere, & emplaſtra applicare, & in vnctionibus eam lenire ſolemus; &, cum nulla pars ſit, quamuis exigua, in qua humores firmari, atque impingi non poſsiht, nulla fere etiam erit, quæ huiuſmodi præſidijs non videatur indigere. Sed aliqui ex huiuſmodi fotibus ſunt, qui humores repellunt, & intro retrudunt. & propterea, antequam ad eorum applicationem veniamus, erit prius pars ipſa

optime

optime cognoſcenda. Dicebat enim Hip. Eriſipelas ſi extra exierit, bonum; ſi contra vero, malum. &, cum Medicus naturæ ſit artifex, & Aſsiſtens artis miniſter, perpendat, an pars, à qua humores repellimus, deterioris, vel nobilioris ſit condicionis, ea, ad quam humores detrudimus; &, cum natura ſagax maxime ſe conſeruare ſtudeat, & ad ſui tutelam, atque cuſtodiam membra quædam præcipua ſibi comparauerit, quemadmodum illa has partes nititur ab ab omni noxa defendere, ac vindicare, ita Aſsiſtens in repellentibus iſtis adhibendis ſemper partes nobiliores ab omni læſione caueat, atque defendat. Verum, cum ea, quæ habent vim repellendi, vt plurimum frigida ſint, etſi in aliquibus partibus actualem etiam frigiditatem requirunt, ſi tamen hepati, cordi, lieni, ventriculo applicentur, ſemper actualem frigiditatem cauere oportet. Immo ea, quæ huiuſmodi membris adhibentur, ſemper admixtum aliquid habeant, quod his viſceribus vim addat, atque corroboret; & in omni medicamentorum localium adminiſtratione naturam recte operātem imitemur. Cumque illa ſemper ex centro ad circumferentiā, ſi in ſua naturali temperie, & robore, & conſtitutione fuerit, noxios humores demandet, atque propellat, parteſque ignobiliores vt cutim pro nihilo ducat, debilitetque ſæpe, & inficiat deprauatis ſuccis; Ideo in affectionibus cutis, lenimenta, quæ eam corroborare, & humores intro repellere ſi adhibebimus, potius naturæ aduerſarij, quam miniſtri, nuncupabimur. Sed, ſi in cuti perpolienda errores non exigui committuntur, quid dicemus de epithematibus, æſtuanti cordi adhibitis? etenim de virtutis debilitate Medici verētes cordi ſummo incendio flagranti fotus, ſeu epithemata cum quatuor aquis cordialibus, vino maluatico, aceto roſaceo, & ſpeciebus cordialibus, cum rubeis ex lana petijs, cordi calida applicanda præcipiunt. quæ quidem medendi ratio ita eſt ab omni recta methodo aliena, vt eo tempore cor omnia ab his contraria expoſtulare videatur. Nā cor, caloris innati fons, & origo, ſi à caliditate illa ignea præter naturam corripiatur, vt tantæ caliditatis vis obtundatur, frigida potius requiret. Itaque diligens Aſsiſtens, ſi æſtuanti cordi epithemata adhibebit, ea ex aquis cordialibus, vt endiuiæ, acetoſæ, roſarum, boraginis cum pauco aceto roſaceo componātur, & apud ignem eo vſque contineantur, quo frigiditatem actualem depoſuerint, & petiæ lineæ in huiuſmodi aquis madefactæ regioni cordis, dum ſummo feruet incendio, imponantur. Si enim hac ratione parentur fotus, & epithemata cordi, non ſolum igneæ caliditati obſtabimus, ſed etiam innatum cordis calorem fouebimus, & corroborabimus: Si vero cor nō multum à ſua naturali temperie receſſerit, &

virtus, vel humorum prauitate, vel nimia euacuatione, & reſolutione laboret, epithemata illa cum ſpeciebus cordialibus, & ex murice tinctis petijs applicata, dummodo caput non patiatur, eorumq. vapor illud non feriat, nō ſolum regioni cordis, ſed etiam teſtibus, manuum, pedumque pulſibus adhibita, ſummam ſæpe ægrotis vtilitatem pepererunt. Tempus vero, quo & fotus, & lenitiones, & epithemata adhiberi ſoleant, eligi debet, cum maxime vrget neceſsitas. in ſummis enim doloribus tunc anadina erunt adminiſtranda; cum vrget dolor, epithemata, vel cum corpus ardet incendio, vel cum ex ſymptomatibus ſuperuenientibus maxime virtus debilitabitur; &, ſi nulla ſymptomatum neceſsitate cogamur, tam epithemata, quam cæteri fotus, quam longiſsime ab acceſsione, dum natura libera, & ſoluta, & ſui compos eſt, & ieiuno ventriculo adminiſtrentur. De oxiradinis capiti admouendis ſumma oritur inter auctores diſputatio. nam, cum ex aqua, oleo, & aceto roſaceo, & alijs infrigidantibus comparentur, & hæc facultatem repellendi habeāt, cum natura in ſummo capite ad fuliginoſa excrementa extra amādanda plures ſuturas fabricauerit, etiam ſi ex partibus inferioribus ad caput vapores eleuantur, oxiradina minime conuenire iudicantur. nam vapores per ipſas venas eleuati in ipſo capitis ambitu cōcludentur; &, cum virtus ipſius cerebri foras propellere non poſſit, in ipſo cerebro retineantur, & grauiora ſymptomata excitent, neceſſe eſt. Quare, ſi oxirodino vtamur, illius frigiditate ſuturæ ita in anguſtum deducentur, vt nihil per inſenſibilem tranſpirationem poſsit euacuari. Ideo oxiradini vſus, niſi caput ſola calida intemperie laboret, & à partibus inferioribus minime foueatur, nunquam mihi arriſit: quamuis aliter in Methodo videatur ſentire Galenus, at, ſi Medicis eo vtendum eſſe videatur, nec actu frigido vterer, & pro oleo roſaceo camomelinum apponerem.

De Aſsiſtentis Officio in veſicatorijs, & cauterijs adhibendis. Cap. XIV.

IN ipſo morborum curriculo multa, quæ latitabant, accidentia, vel ob copiam materiæ opprimentem virtutem, vel ob ſummum inter morbum, & naturam certamen exoriuntur: quæ ita nonnunquam, & Medicorum, & Aſsiſtentium animos conturbant, ac ancipites reddunt, an in morbum, vel in ſymptoma incumbendum ſit, vt, cui primo remedium afferant, maxime vereantur. Verum Gal. in Met. dum ita anceps animus eſt, hæc perpendenda ſuadet. Primo,

mo,quid magis, ſymptoma ne,an morbus, ægrum in vitæ diſcrimẽ adducat. Deinde,cũ morbi inter ſe implicíti,ac coniuncti ſint, quis eorum alterius ſit cauſſa;& ei,ex quo maius imminet periculum,& qui alterius cauſſa eſſe videbitur,ceteris nõ neglectis,potiſsima re media ſubminiſtremus. Etenim in morbis præſertim longis ita aliquæ noſtri corporis partes franguntur,vt continuus aliunde humo rũ ad eas fiat decurſus, vel materia ita in parte aliqua infigitur, ac firmatur,vt,niſi aliquã viam aperiamus, vel forti medicamẽto è lo co moueamus, atque ad aliã partem detrudamus, tã diu eo loci ſit moram actura,donec omnia penitus corruperit, & labefactauerit. hinc à Medicis,qui omne ſuũ ſtudium in ſalutẽ ægrotantium collocarunt,multa,& reuellendi,derinandiq. inſtrumenta,& remedia in uenta fuerunt. ſæpeq. euenit,tot, ac ita prauos in oculos confluere humores,vt neque ſanguinis miſsione,neque purgatione, neque to picis remedijs ſuccurrere, opitulariq. valeamus. Ne autẽ membri tantæ nobilitatis præditi,tamq. humanę vitæ neceſſarij,facultas pe nitus aboleatur, eorũ humorum concurſus, qui ad eos ferebantur, alio diuertere,ac amandare ſtudemus. Sed, ſi aliqua naturalis euacuatio defecerit, & ex eius defectu grauia hominibus importentur incõmoda; nonne,quibus poſſumus auxilijs, ad priſtinũ ſtatũ reuocare tentamus? propterea Medici multas cõmenti ſunt vias,rationesque, quibus ſua munera explerent, vt nihil pro ſalute hominum intactum,intentatumve eſſe videretur. Principio,ſeſe offerunt cau teria,ſeu fontanellæ nuncupatę;quæ ſi fiant inter mẽbrum mandãs, & recipiens,ita humorũ intercipiũt curſum,vt,per eas humoribus illis ebibitis, qui ad partẽ recipientẽ ferebantur, ſolo hoc præſidio partes affectæ in priſtinã reuocẽtur ſanitatẽ. De hac autẽ re ita per polite,docteq. Ludouicus Mercatus lib. 1. ſuarũ Intentionũ pertractauit,vt nihil addi poſſe videatur. Nos autẽ,vt Aſsiſtentem noſtrũ omnia,quæ ad eũ ſpectabunt,doceamus,nonnulla, quæ ad hanc tra ctationem facere iudicabimus, ab hoc doctiſsimo viro mutuo acci piemus. Inuſtiones itaque vrgente neceſsitate toto corpori infigi, ac fieri ſolent. Etenim, cum ſæpe venenum per ignem nobis ſit extrahendum, vel aliquis humor ita à benignioribus ſeiunctus, ac ſegregatus,& veneni referat naturam, cum & venenum,& huiuſmodi humores in quaque noſtri corporis parte reperiri poſsint,vſtionem vnicuiq. parti conuenire aſſerimus. Verum,cum fontanellæ,& cauteria nuncupata,vt plurimũ in longis capitis affectibus,in doloribus articularibus,podagra,hydrope,vterinis morbis ſummã vtili tatẽ afferre dicantur, ijs præſertim partibus vulnera per ignẽ infigimus,occipiti, vtrique brachio prope cubitum, vtrique cruri, qua-

tuor digitis,ſub genu,& in parte interiori,& exteriori. ſed occipitiſetones pro oculorũ affectibus fieri ſolent. quã conſuetudinem, & medendi rationẽ nunquam potui cõprobare. Etenim,cũ in ſetonibus cutis ipſa ſola ferro candenti transfigatur, niſi muſculorũ caro cõprehendatur,& ex dolore huic parti illato humiditates ſolum in cute imbibitæ ad eã attrahantur,& euacuẽtur,cutanei tantũ affectus, qualis tumor totius capitis, & faciei à multa humiditate profectus,per ſetonis vulnera ſanabuntur;at oculorũ morbi, cũ vt plurimũ vel ex neruorum opticorũ obſtructione,vel ex pluribus cõfluentibus humoribus, vel ex viſorij ſpiritus impuritate enaſcãtur; quã ex ſetonibus,in quibus cutis tantum transfigitur,vtilitatẽ conſequi poſsimus,animus meus capere vix poteſt.Sed in cauterijs profundiora cũ per ignem fiant vlcera,ſi ea adaperta,vt moris eſt,cõtineantur,cũ humores per reſudationẽ,& tranſmiſsionẽ ex vna ad alterã partem,& per venulas,quæ per totũ corpus diffuſæ,& diſſeminatæ in ipſam carnẽ terminantur, vſque ad vulnus transferantur, oculorum affectus,ſi præſertim ex nimia humiditate proficiſcãtur, quia humores ad partem per ignem debilitatam tranſitum fecerunt,ſi ſpiritus uiſorios conturbare deſiſtant, penitus tollentur. nõ eadem eſt in ſetonibus ratio. nam, cum cutis ſeiuncta, ac ſeparata per membranulam illam à carnibus ſit, per abſceſſus in ea ſola factos,interiores humiditates minime euacuabuntur. Itaque in omnibus diuturnis oculorum affectibus à nimia humiditate exortis, inuſtionem per ferrum ad glandis formam redactum bene ignitum occipiti factam,ſemper ſatis,ſuperq.laudaui.Neque,vt dicebat doctiſsimus Mercatus,occipitiũ niſi igne eſt aperiendum. etenim medicamenta, quæ rumpendi vim obtinent, præter incertitudinem ruptionis,quam inferunt,ſummopere partem debilitãt; &,cum per eam quamplurimi pertranſeant nerui; eaque ita capiti vicina, ac proxima ſit, vt per conſenſum ipſum etiam lædere poſsit; ideo ignes virtute, qui mortui dicuntur, in quibus cantharides, & alia huiuſcemodi ingrediuntur, tanquam peſtis,& rabidi canes,ſunt ab Aſsiſtente noſtro fugiendi. quemadmodum enim ignis ardenti ferro adhibitus parti robur addit, & non vlterius progreditur, & vehementer naturam ad eam partem reuocat; ita is, qui potentia ignis appellatur, virtutem partis proſternit, & longe, lateque propagatur, neque naturam ad ſe vllo modo trahit. Illud etiam in fontanellis aperiendis ſumma prudentia, ac conſilio egebit, vt numquam parti imbecilli candens ferrum applicemus. ex ea enim inuſtione confluentibus ad eam humoribus, ad tantam deducetur debilitatem, vt virtus illius à copia penitus ſuffocetur: ſecus

autem erit, ſi debilitas illa cum nimia humiditate copuletur. eo enim tempore deriuationis prope ipſam, diſcuſsionis vero gratia in ipſa parte præſtantiſsimum erit præſidium, ignem adhibere non ſolum in capite, ſed in quocunque noſtri corporis loco. ſi autem in capite circa commiſſuras coronales candens ferrum nonnunquam adhibeatur, Aſsiſtens etiam atque etiam chirurgum moneat, ne glandem ignitam ita comprimat, vt vel neruos, qui ex ſuturis proficiſcuntur, & in alijs partibus muſculorum tendones, vel tenuem illam membranam, quæ pericranium dicitur, pertingat. ex horum nanque punctione ſæpe corpora conuelluntur, ſi ijs præſidijs in affectibus à nimia humiditate profectis vtamur. in his morbis, qui ab humore atro, vel à ſimplici intemperie ortum ducunt, non ſolum horum vſum ſuperuacaneum eſſe cenſeo, ſed etiam, cum per continuam humiditatis euacuationem facultatem exſiccandi obtineant, ſi adhibeantur, corpora tabe inficient, & exſiccabunt. Iccirco in hominibus, vel diuturnitate morbi, vel lue Gallica extenuatis, etiam ſi aliquem humorum defluxum vereamur, hoc præſidium improbarem. At vero, in quibus iam hydrops eſt facta, vel futuram pertimeſcimus, prope vtrunque genu vlcera per ignem excitare Hip. lib. de internis affectionibus tanti facit, vt in hoc affectu nihil præſtantius eo habeatur. Cum vero huius præſtantiſsimi ſenis auctoritate, & conſilio in his affectibus ad id præſidium confugere velimus, illud vnum, vt ex eo commodum percipiamus, erit ſummopere coniectandum, an eo æger redactus ſit, vt humor aqueus, & pituitoſus omnino corruptus, & naturæ rebellis ſit. eo enim tempore lapſa facultas per oſculum ſimul cum humore exſpirabit. & ex Galen. 12. Met. ea remedia, quæ multis ſaluti fuere, vituperabimus. Itaque, cum in hydrope hoc remedium experiri velimus, vires non omnino proſtratas eſſe oportet, neque humorem in abdomine corruptum, & denique, quoad fieri poteſt, recentem eſſe affectum. locus vero, cui vulnus per candentem glandem eſt infigendum, maxime ab Aſsiſtente cognoſcatur. Noſtra autem hac tempeſtate ſemper in parte cruris exteriore, quicunque fuerit affectus, cauterium infixum eſſe perſpexi. Verum, meo iudicio, aliter ſeſe res habet. Si enim Gal. lib. de ſanguinis miſsione, & omnes auctores, qui de phlebotomia ſcripſerunt, cum affectus, vel inteſtinis, vel teſtibus, vel vtero, vel renibus, ſit, ſaffenas internas ſecandas eſſe; cum autem vel in muſculis inferioribus, vel in coxa, vel in ceteris partibus externis crus ſcarificandum, vel ſaffenam exteriorem incidendam eſſe ſuadeant, cur in hydrope, in qua aqua (de aquea enim

loqui-

loquimur) inter inteſtina, & peritoneum continetur, & ſæpe ad ipſum ſcrotum deſcendit, & in affectibus vterinis, ſumpta à viarum rectitudine indicatione, partem internam cauterio ignito non perforemus? Aſsiſtens vero noſter, qui recta methodo in medicamentis adminiſtrandis vtetur, & in hydrope, & in vteri morbis, vbi hoc præſidio Medici opus habere intelligent, & in omnibus alijs ſub ſepto tranſuerſo internis ægritudinibus, iubeat partem interiorem cruris quatuor digitis infra genu, potius quam exteriorem, inuri. cumque ægri ignem maxime vereantur, bene parte perſpecta, vt inter muſculos applicetur, eorum cauebit tendones. chirurgus, ea, qua poteſt, celeritate, & manuum dexteritate, in hoc opere præſtando vtatur. Sint nitidi faſceoli parati, butyrum, vel ſuilla abſque ſale pinguedo ad dolorem leniendum, & cruſtam ab igne impactam molliendam, lamina ferrea perforata, quæ parti imponitur inurendæ, glandula ferrea, ignis: adſint alij miniſtri, qui & Aſsiſtenti, & chirurgo omnia neceſſaria ſuppeditent. vnus autem ex his, qui ceteris firmior, validiorque iudicabitur, membrum ægrotantis, in quo inuſtio facienda eſt, quam firmiſsime contineat, ne, dum ignis applicatur, æger præ dolore loco moueatur. Sed, ſi in ſoporiferis affectibus, & epilepticis conuulſionibus candenti ferro ad excitandum vtamur, antequam ad hæc præſidia veniamus, multa perpendere oportet. Etenim, quamuis Celſus, lib. 2. dicat, ſoporiferos affectus eius eſſe naturæ, vt, niſi ſtatim ſuccurratur, homines è medio tollat; & Gal. 13. Met. ægros ſoporiferis affectibus laborantes ſtatim excitandos eſſe præcipiat; & inter cetera excitādi remedia ferrū ignitum, vel iuxta commiſſuras coronales, vel occipiti adhibitū principem locū obtineat; ſæpe tamen ſine vlla ratione, aut diſcrimine infixū maiora ægrotis peperit incōmoda. Nam, ſi, nulla facta per ſanguinis miſsionē euacuatione, vel impuro exiſtente corpore, ſiue epileptia, ſiue ſopore æger capiatur, ignē capiti admoueamus; trahetur materia ad locum affectum. at iſta medendi via, quam à ratione, & claſsicis auctoribus ſit aliena, vel medicina tinctus facile poterit dijudicare. Eo enim tempore cucurbitulæ, ligaturæ, acres clyſteres, veſicatoria, quam longiſsime à loco affecto applicita magis conuenire, ac prodeſſe poterunt. quamuis enim veſicatoria vim exulcerandi obtineant, vehementiusq. attrahant, quia tamen ſemper partibus ignobilioribus imponuntur, etiā ſi corpus impurū ſit, non tamen ea, quæ ignis capiti adhibitus, incōmoda importabunt. Verū tamē loco affectǫ veſicatoria, niſi multa cautione, ac iudicio, adhibenda non ſunt. Et, quamuis Aet. lib. 6. & alij in ipſo lethargo

ſinapiſma-

ſinapiſmata, quæ ex Oribaſio lib. 1. cap. 31. vehementia ſunt remedia, capiti imponant; id tamen & corpore bene euacuato, & omnibus excrementis immuni, & præſtitis prius aliis præſidiis, ad materiam illam impactam in ipſo capite diſſoluendam, ac fluxilẽ reddendam, fieri volunt. Inſtituuntur autem veſicatoria, vel vt ex capite materiã reuellamus, vel ut humiditatem in aliqua parte imbibitam euacuemus; vt plurimum autem in brachiorum pulpis, quatuor, aut quinque digitis à cubito, & in cruribus quatuor ſub genu. Cauendum tamen eſt, ea in principiis, finibusq. muſculorum apponere, eorum enim in his locis appoſitio, vt de cauteriis diximus, conuulſionem minatur. Illud præterea animaduertendum eſt, vt partes, vbi veſicatoria adhibuimus, aliquo cerato, quale eſt diaquilon, circumvallemus, ne longius propagentur; & tamdiu in parte continebuntur, quouſque ruborem, tumorem, & veſiculas excitauerint. Id autem ſex horarum ſpatio præſtare ſolent. Amotis veſicatoriis, incidendæ ſunt veſiculæ; &, ne exſiccentur, aut dolorem inferant, vel butyro recenti, vel vnguento roſaceo pars exulcerata leniatur. &, quia ex cantharidibus applicitis vel difficultas mingendi exoritur, vel ſanguis ipſe per vias vrinæ euacuatur; ideo iis, qui vrinam difficilem reddunt, vſum cãtharidarum prohiberem, & ſolo ſinapi in coricarum decoctione infuſo, & macerato, fermento admixto, vel addito ſtercore caprino, eſſem contentus; niſi ea ad vrinam omnino ſuppreſſam, & in toto diffuſam, in proprium ductum reuocandam applicemus.

De officio Aſsiſtentis in ſternutatoriis, & naſipurgiis adhibendis. Cap. XV.

CVM ſternutamenta non ſolum euacuandi, & euellendi à capite vim habeant, ſed etiam nonnullis affectibus vtilia exiſtant, nec ex præcipiti occaſione Aſsiſtenti ſemper Medicorum conſilio vti liceat: Ideo, vt ipſemet multa in ægrotantium ſalutem præſtare poſsit, quibus affectibus ſternutamenta auxilio ſint, breuiter enarrabo. Dicebat enim Hip. 7. Aph. Si Sternutatio ex capite fit cerebro percaleſcente, aut vacuo, quod in capite eſt perhumeſcente. Vbi Gal. in comment inquit, Sternutamentum ipſius naturæ eſſe motum. quemadmodum enim thorax, & pulmones materiam in iis contentam, quæ eorum actionem læderet, per tuſsim expellere conantur, ita ſternutamentum, narium meatus manifeſte expurgare videtur. Motus igitur capitis naturalis ad excrementa à

& hu-

& humores nocuos euacuandos, ſternutatio erit. huius vero cauſſa proxima, ac continẽs, eſt flatus vnico impetu ex capite vehemẽter, ac confertim emiſſus, isq. vel ſolus, uel cũ aliquo humore acri cõmixtus. Neque vero dicebat Galenus ſternutatio ſolo capite excalefacto, vel perhumectato fit: pennis enim aliqui ſibi nares vellicantes, ſternutant. ex tuſsi ſpiritus ab inferioribus partibus ſurſum elatus ad naris meatus ſternutationis eſt cauſſa; & medicamenta, quæ ſua acri qualitate naris partes vellicant, vt odor condiſi piperis, ellebori, euphorbij, cient ſternutamenta. Quare, cum in capite multos ſpiritus, vel cũ iis humores admixtos contineri putamus, vel mucoſi humoris euacuatio cõprimitur, vel ita natura ſopita, ac ſomno preſſa eſt, vt, niſi ei vim inferamus, minime leuetur, ſternutamenta excitare ſolemus. Addit præterea Hipp.5.Aph.35. Mulieri, quæ vteri ſtrangulationibus vexatur, aut difficile parit, ſternutatio accedens bonum. & eiuſdem partis 49. Vt ſecundæ excidant, ſternutatorium indito, & os apprehendito. Et, ſi in gutture, vel in aſpera arteria humores viſcidi, vel ſpinæ, & oſsicula infixa ſint, nullum erit præſidium ſternutamento præſtantius. Verum, cum ſternutatio motus ſit ita vehemens, vt ea totum corpus concutiatur, ſi vel de humorum agitatione, vel de uirtutis imbecillitate, uel de aliquorum humorum in pectus deſcenſu vereamur, ab huiuſmodi præſidio erit omnino abſtinendum. Etenim Hipp. lib. Prognoſticorum dicebat, ſternutamenta in omnibus circa pulmonem morbis anteceſsiſſe, & ſuccedere malum. at in aliis morbis lethaliſsimis proſunt. Aet.lib.6.cap.de lethargo, ſternutatoriis ad excitandum vtitur. cuius auctoritate in huiuſmodi morbis, vbi humorum conturbationem non pertimeſcimus, & per nares, & os maxima viſcidorum humorum copia ſoleat euacuari, poterimus ex condiſi pipere, elleboro ſternutatoria parare; & in ſoporiferis affectibus, cũ natura maxime preſſa ſit ſomno, uel ieiuno ſtomacho, uel deſcenſo ad inteſtina alimento, ex huiuſmodi rebus pulueres naribus inducuntur; ita tamẽ, ut ſemper à leuioribus inchoemus, & à nimia frequentia caueamus. Nam, quemadmodum ſuperius ex Celſi decretis diximus, frequentia cucurbitularum oculos, & clyſteriorum aſsiduo uſu inteſtina debilitari, cum ſternutationis motus uehementior ſit, & caput, & totum corpus ex iis concutiatur, ſi frequentiores in eorum adminiſtratione ſimus, ad maiora, quam diceret Celſus de inteſtinis incommoda caput adducemus.

Naſipurgia vero eo inſtituta fuere, ut, cum natura, quæ per nares antea euacuare ſolebat, ab huiuſmodi munere defeciſſet, iterum per infuſa aliqua in nares ad eadem munia reuocaretur.

tur.inquit enim Hip.Quo natura uergit,eo ducere oportet.Quamuis enim caput & per os, aures, oculos, & nares conſueuerit aliquando expurgari, nulla tamen, quam per nares, tutior videtur expurgandi via. Nam, ſi humores à capite in pectus deſcendant, attractio materiæ à capite per ſputum minime conueniet. pars enim illius defluet in pectus. Itaque, quotieſcunque nobis à capite humores euacuare propoſitum erit, id & tuto,& facile per naſipurgia præſtabimus. Multa proponuntur ab auctoribus, quæ per nares attracta vim obtinent euacuandi : ſed ſemper à leuioribus inchoandum erit.aliqua inſtituuntur ad nares tantum humectandas, & materias exſiccatas emolliendas; qualis eſt aqua hordei, cum manna, zaccharo, melle, vel oleum ſolum amygdalarum dulcium, alia ad humores craſſos, & viſcidos attenuandos, diſſecandos, fluidioresq. reddendos; & huiuſmodi ſunt ſuccus blitis clarificatus, decoctum maioranæ, origani, ſticados, cum melle oxymelite ſimplici, & ſquillitico, ſyrupo de ſticados, de betonica admixto, & in huiuſmodi decoctis, naribus infundendis, ſemper Aſsiſtens eam temporis conſtitutionem eligat, in qua naturam quietem agere,& æger melius ſe habere intelligat. numquam tamen frigida per nares attrahantur. frigidum enim inimicum capiti, oſsibus, &c. At vero, cum oculi aliquo affectu laborant, frequens naſipurgiorum vſus ad cæcitatem inducit.

De Aſsiſtentis Officio, in corpore, in fine morbi expurgando. Cap. XVI.

MEdici,& Aſsiſtentis præcipuæ partes ſunt,in ægrotantium cura, ipſius naturæ motus præcognoſcere, eamq. in naturalibus muneribus obeundis, quoad fieri poteſt, imitari; vt,ſi caſu aliquo è recta via diſceſſerit, in eam poſsit iterum reduci, & reuocari. quæ in humoribus noxiis euacuandis, ita ſolet nonnumquam à conſueto mutari, & variari, vt,dum ex humorũ euacuatione iam morbum ſuperaſſe ſperamus, ipſa à morbo opprimatur; è contra vero, dum nulla eius contra morbum pugna expectatur,nec aliqua victoriæ ſigna demonſtrantur, ſtatim morbum debellaſſe geſtiat, atque exultet. quæ quidem omnia iis,qui in naturalibus facultatibus,& morborum curationibus non fuerint diutius exercitati,ſummam pariunt admirationem. qui enim fieri poteſt, vt nàtura nonnumquam, & per infernam aluum, & per ſanguinis fluorem è naribus, & per ſudòrem, morbum profligare contendat, ſæpe vero,

quaſi ſui muneris oblita, nullam aggrediatur morbi expulſionem? Propterea, cum hæc ita ſint obſcura, & in tantis latitẽt tenebris, vt nec oculis inſpicere, nec animo concipere valeamus; omnis hæc medendi facultas in coniectura verſabitur; & is inter Medicos primas obtinebit, qui & maiori iudicio, & longiori artis experientia, ceteros iudicabitur antecellere. Quæ cum ita ſint, mirum videri non debet, ſi in aluo ducenda, aliiſq. huius facultatis inſtrumentis adminiſtrandis, maxime inter ſeſe diſſentiant auctores. nonnulli enim, etiam noſtræ ætatis, Medici, non ſolum de medicamentis purgantibus, ſed etiam lenientibus, ita male ſenſerunt, vt iis, vel in minima quantitate, in ægris vti maxime pertimeſcerent. Quare ſuperioribus annis noui ſummæ auctoritatis, & exiſtimationis Medicum lenientia medicamenta, qualis eſt, caſsia, manna, confectio ex prunis, ad ℥.ij. ægrotis inſtituiſſe. Alterius familiæ medici repe-riuntur,, qui ita purgantibus medicamentis ſunt addicti, vt, cuicunque ægro accedant, etiam ſi repletione potius, quam euacuatione egeat, vt aliquid feciſſe iudicentur, ſemper ab euacuatione modo per purgantia, modo per lenientia medicamenta ſuam inchoant curationem. Noſter autem Aſsiſtens, quem omnem curam in ægrotantium ſalutem volumus collocare, antequam ad medicamenta per aluum ſoluentia accedat, multa ſecum animo euoluat, & contempletur. Principio, an is ſit morbus, qui per viam criſis, & ante decimam quartam ſit iudicandus; an vero lento, vt dicitur, pede incedat, & longius protrahatur; tum, an cum febre coniunctus, & copulatus, an ea immunis, an vnus, vel plures eundẽ ægrum afficiant morbi; &, ſi plures, an ſimul coniuncti, & confuſi, an vnus ab altero ſegregatus. demum, an alter alterius ſit cauſſa, an materia, quæ hos procreauit affectus, in aliquam partem ſuam ſedẽ collocauerit, vel adhuc fluat, nec certo loco ſtare ſciat. ſi morbus ſit acutus, an ante decimam quartã per criſim terminandus, & eius, à qua fouetur, materia adhuc vagetur; &, vt inquit Hip. turgeat, quid agendum ſit, ſuperius fuit à nobis fuſius explicatum: ſi vero cum febre ſit coniunctus, ea uel eſt continua, vel intermittit. ſi continua, cum ſit morbus acutus, & vix uigeſimam primam pertranſeat diem, coniectandum eſt, an alicuius euacuationis ſigna præſeferat, & an ad ſalutem potius, uel ad mortem tendat, uel adhuc anceps, & dubia ſit ſpes ſalutis, aut mortis. ſi febris ſit continua, neque aliquid ſponte excernatur, & ſpes in dubio uerſetur, trãſacta certe decima quarta die, ut præcipit Hip. lib. de purg. med. aliquo uel leuiſsimo medicamento, præſertim ſi febris non remittatur, naturam ad aliquam euacuationem allicerem, ut, dimi-

ſutis in parte humoribus, natura exonerata, quod reliquum eſt, concoquat, & expellat; & potius eſt, aliquid leue experiri remedium, quam ſine præſidiis ægrum penitus deſtituere, Id etiam illud ſuadet, quod ita nonnumquam praui moris reperiantur morbi, vt eius prauitas, atque malitia intra corpus latitans, à nobis minime cognoſcatur. At ex Hip. morbum cum quis non cognouerit, leue medicamentum adhibito; ſi profuerit, quo egeat præſidio, monſtrata eſt via; ſin minus, ad contrarium te conuerte. Sed, ſi nulla nobis ſalutis ſpes ſuboriatur, & propinqua mors ſit, quid nobis ipſis, & medicamentis infamiæ notam inurimus? ſin vero aliquam à natura euacuationem fore tentandam arbitremur, quo facilius, & ſine aliquo detrimento fiat, omnia, quæ ad eam euacuationem faciendam naturæ neceſſaria eſſe videbuntur, ſubminiſtrabimus, totumq. euacuationis munus ipſi naturæ committatur. Si autem febris intermittat, & de morbi longitudine vereamur, & longitudinis cauſsa vt plurimum ſint humores craſsi, viſcidi, in aliqua parte intercluſi, & impacti, qui vnica expulſione euacuari non poſsint, ideo euacuatio illa, quam Gal. 9. Met. per epicraſim appellat, mihi gratiſsima fuit. Id autem fit, ſi partim humores crudos concoquamus, incidamus, ſeparemus, partim leui medicamento euacuemus, partim ipſius ægri vires conuenienti alimento reficiamus. Ideo in omnibus morbis, in quibus materiam ad vnicam euacuationem, ſiue id arte, ſiue à natura fiat, non conſeruatur, nulla hac per epicraſim euacuandi via tutior, ac præſtantior reperitur. Illud pro certo habeat Aſsiſtens, antequam ad aliquam, uel minimam, euacuationem deueniamus, ſemper concoctionem in humoribus eſſe expectandam; &, cum in initio morborum nulla, quæ euacuationem ſuadeat, poſsit eſſe concoctio; ideo in iis medicamenta purgantia, etiam in minima quantitate, niſi materia turgeat, omnino erunt fugienda. Cum autem concoctio, & humorum maturatio ex Ariſt. 4. Meteororum, à calido innato fiat, hæc in morbis, non niſi calore externo deuicto, ac debellato, fieri non poteſt; propterea ipſius naturæ victoria non niſi in morbi remiſsione ſolet apparere. Quare, ſi ægrum, cui medicinam facimus, euacuatione indigere cognouerimus, & natura ipſa non tentet, expectata morbi inclinatione, febriſq. remiſsione; apparente concoctione in humoribus, medicamentum propinabimus. Si enim humor ille, qui huiuſmodi morbum procreauit, neque per vrinam, neque per ſudorem, neque per alias conuenientes vias, fuerit expurgatus, cum corpora impura, quanto magis nutris, tanto magis lædas, & impura cor-

pora ſæpe in recidiuiuam incidere conſuerint; ideo optime factum eſſe exiſtimo, humorum peccantium reliquias per medicamenta in fine morbi extra corpus eſſe expellendas. id autem non ſolum morbi ipſi, ſed deprauata etiam viuendi conſuetudo ſuadet. cumque vt plurimum homines heluones, & vini potores, & pauperes, praui ſucci alimentis vtantur, omnes fere morbi, vel à copia, vel ab humorum corruptela trahunt originem. at, qui ex repletione oriuntur morbi ſanantur euacuatione. Ideo huius ætatis Medici non ſemper ſunt reprehendendi, ſi toti in euacuando occupentur. Sed Aſsiſtens, habita cum Mèdicis de medicamento exhibendo deliberatione, ea, quæ Hippoc. de medicamentis purgantibus præcipit, integre obſeruet. inquit enim ille, Cum pharmacum alicui dare voles, ſiue deorſum, ſiue ſurſum, purgans, interrogare ipſum oportet, an prius biberit medicamentum, & an aluus ex deorſum purgantibus cita ſit, & celeriter obediat, aut dura; &, ſi cita, & facile ſoluta, mollioribus, & paucioribus opus habet; ſi dura, fortioribus. at, ſi medicamentum numquam ſumpſerit, cognoſcere oportet, an ea, quæ ſanus in corpus ingeſsit, aluus deorſum ſoluta facilius ſit, vt ſurſum verſus, an ad repletionem, an vmquam alui profluuium ipſi ſucceſſerit. hæc omnia interrogare oportet, vt recte conſulere poſsis. Hæc ille. Medicamenta vero, quæ ad corpora expurganda in fine morbi inſtituuntur, in forma potionis ſummo mane ſoluto ſomno actu calida vt plurimum propinantur. Propterea Aſsiſtens noſter ea, quæ de medicamento exhibendo in principiis morborum à nobis ſcripta fuere, huc transferat. Nihilque, quod ad optimi Aſsiſtentis officium ſpectare videbitur, prætermittat. Inſpecta enim ab ægro, Aſsiſtentis, non ſolum in medicamento, ſed etiam in iis, quæ & ad corporis candorem, & ornatum facere videntur, induſtria, audacter ad id ſumendum excitatur; &, quo minus euomat, omnes vires, conatusq. intendit; ſanitatemque recuperatam Aſsiſtentis diligentiæ, atque induſtriæ referet acceptam. Si vero in poſterum aliquo alio corripiatur affectu, non ſolum vt Aſsiſtenti, ſed etiam vt Medico, ſe eius curæ, ac tutelæ ſubiiciet. Verum in morbis longis humores vnica medicamenti potione minime eradicantur; ſed adhuc, qui craſsiores fuerint, remanent crudi, & inconcocti, & repetita indigebunt, & maturatione, & purgatione, illa aperientibus, & incidentibus, & concoquentibus, hæc aliqua exigua quantitate, ſed virtute valido medicamento in forma pillularum fieri ſolet. In quibus etiam

exhi-

exhibendis ſumma erit opus Aſsiſtentis cura. Sunt enim nonnulli, qui quiduis potius, quam pillulas deglutirent. Alij, ſi in minori forma parentur, facile deglutient. Ideo, qui pillulas ſumere non valent, cum ad id cogi nec poſsint, nec debeant, eadem medicamenta diſſoluta in aliqua decoctione coadiunante ſolutionem potanda exhibeantur. Illud etiam ad Aſsiſtentis munus ſpectare videtur; vt, ſi Medicus caput euacuare voluerit, medicamenta non niſi poſt leuiſsimam cenam hora ſomni exhibeantur; ſi ventriculum, paullo ante cibum; ſi totum corpus, per quinque, vel ſex horas ante cibum, deſcenſo prius antea aſſumpto alimento, & aluo per clyſterem fluida reddita. Si enim ſtercora nimis eſſent exſiccata, & inteſtinorum ductus ab alui excrementis obturati, cum medicamentum vna humores acres, ac bilioſos attrahat, tormina, & dolores acerbiſsimos excitabit. Sumpto medicamento, omnes, tum amici, tum domeſtici, quorum præſentia euacuatio fortaſſe retardaretur, longius arceantur; ſolus Aſsiſtens, & familiaris alter, qui, dum aſſurgit, veſtimenta ſubminiſtret, cum ægro in cubiculo verſetur. Si, cum medicamentum euacuare incepit, ſitiat æger, neque bibat, neque ei aliquid ſorbendum detur, os tantum aqua colluatur, vigil contineatur; &, ſi in ſoluendo tardare videbitur, iubeat ex Hipp. moueri corpus; ſi nimis fluat, quieſcat, & aliquod iuſculum ſorbeat. Abſoluta euacuatione, leui cibo inſtauretur; & tunc & domeſtici, & familiares omnes, qui eum hilarem, vigilemque contineant, poterunt accerſiri; ceterorum vero ad eum aditu eo die penitus interdicatur. Excrementa autem, & humores euacuati in vaſibus aſſeruentur, donec Medici reuertentes, humoris naturam, copiamque inſpexerint. Sequenti vero die, cum ſæpe humorum reliquiæ in inteſtinis remaneant, aluus vel ex iure pullæ cum vitello oui, & zaccharo, aut melle, vel aqua hordei, & zaccharo, erit abluenda per horam ante cibum; vel, ſi clyſterem abhorreat æger, iuſculum cum zaccharo ei ſummo mane loco ſyrapij ſorbendum dato.

De Pa-

De Publicorum Hoſpitiorum Aſsiſtentis Officio. Cap. XVII.

CVM in magnis, & optime conſtitutis vrbibus publica pro pauperum ægrotantium cura ædificia, quæ Hoſpitia, ſeu Hoſpitalia nuncupantur, fuerint comparata, non ſolum, vt tota ciuitas à contagioſis, & Epidemicis morbis liberetur, ſed etiam quia ita Chriſtiana pietas expoſtulat; Idonei, & Medici, & Aſsiſtentes, Chirurgi, & omnia, quæ ad eorum curam ſpectabunt, quam diligentiſsime comparantur. Vt autem ij, qui huc curandi accedunt, priſtinam ſanitatem recuperare facile valeant, ea, quæ ad viuendi rationem, & medicamentorum apparatum pertinebunt, ita ab iis, qui huic rei præſunt, ſuppeditentur, ut nihil prætermiſſum eſſe ui deatur. &, cum æſtiuis, & autumnalibus præſertim temporibus tanta pauperum ægrotantium ad hæc loca confluet multitudo, ut vix & Medici, & eorum Miniſtri ſufficere poſsint, non ea quidem ratione, & methodo curari poſſunt, qua ceteri in priuatis domibus cuſtodiuntur ægroti. Etenim vnuſquiſque æger, ex Gale. ad rectam eius curationem ſuo egeret Medico, qui in aliis ægris inuiſendis minime eſſet occupatus. Sed, cum nec tanta reperiatur Medicorum copia, nec ea ab vno ægroto merces Medico ſuppeditetur, vt ea ſola poſsit ſibi victum comparare; ideo vni Medico plurium ægrotantium cura gerenda eſt. In publicis autem Hoſpitiis iuuenis, Medicorum præceptis eruditus, & Doctoratus inſignibus cohoneſtatus, qui vnicuique ægro debitam viuendi rationem à Medicis inſtitutam ſuo loco, & tempore exhibeat, pro Aſsiſtente conducitur. Huic Medici, cum bis in die ægros inuiſere ſoleant, omnem, quæ ad viuendi methodum, & rationem ſpectat, curam penitus demandant. Sed liceat mihi, prout Cicero contra Catilinam, in præſenti exclamare, O tempora, o mores. cum tempus ægros alendi aduentauerit, Aſsiſtens curſitando ægrotantium pulſus pertractat. quos videt tunc ſummo frigore correptos, vel ingenti flagrantes ardore, iis poſt horam cibum deferri inſtituit; nec , quo tempore æger febre fuerit correptus, nec quamdiu ſit perduratura, & ab iis, qui tunc ſunt immunes, qua diei hora ſit febris acceſſura, cognoſcere ſtudet. & hinc miſeri ægri ſæpe in ipſo febris ingreſſu, ſæpe in augmento, & ſtatu, cum maximo damno, & eorum vitæ periculo, nutriuntur. Propterea mirum non eſt, ſi multi male cibati morbo ſuccumbant.

bant. potiſsima enim ratio medendi ex Hippocr. & Gale. eſt opportuna cibi exhibitio. At, qui cum medicamentis, potionibusq. morbum propellere, ac profligare Medici nituntur, ſi ægri ab Aſsiſtente intempeſtiue nutriantur? ex Hip. enim in Epid. ex intempeſtiua cibi exhibitione plurimi interierunt. Aſsiſtentem autem noſtrum, ſi quando in publicis hoſpitijs ægrotantium cura ei fuerit demandata, ita inſtituemus, vt is, noſtris præceptis inhærens, ægrotis priſtinam ſalutem, ſibi pariat gloriam ſempiternam. principio enim, omnia, quæ ſuperioribus capitibus ad Aſsiſtentem pertinere diximus, huic ſunt accommodanda; nihilque, quoad fieri poteſt, vel ad viuendi rationem, vel ad ſanguinis miſsionē, vel ad clyſteriorū, cucurbitularum, fotumq. exhibitionem pertinet, ab eo prætermittatur, cum Medicis continuo verſetur, &, dum ij ægros inuiſunt, & diuerſa inſtituunt remedia, & ab ægris morbi hiſtoriam percipiūt, nunquam ab eorum latere diſcedat, & in ſuo libello, ſeu aduerſariolo initium morbi, an quotidie, vel tertio quoque die, an febris continua, vel intermittens, cum alicuius membri dolore, ac debilitate, vel ſimplex affectio ſit, qua hora rigere, & horrere, quo tempore morbum imminui, ac inclinare incipiat, quam diligentiſsime perſcribat, tum alios habeat idoneos, & accommodatos ægrotantium miniſtros, quos decem, aut octo ægrotantium, qui in maiori vitę periculo verſari iudicabuntur, curæ præponat, à quibus omnium, qui ſuæ erant ſubiecti cuſtodiæ, ſymptomata, acceſsionis tempus, excrementorum mutationem perdiſcat. aduenientibusq. iterum Medicis, omnia, quæ ægro ſuperuenerunt, an fuerit imminuta acceſsio, an aliquam natura tentauerit euacuationem, vel potius ea ſuppreſſa ſit, quam diligentiſsime explicet, & enarret. Ex hac enim cura, & diligentia ab Aſsiſtente adhibita, & Medici in certiorem morbi cognitionem deuenient, & accommodata magis ijs tum alimenta, tum medicamenta inſtituentur. Cognita, atque perſpecta cum Medicis morbi natura, & hora futuræ acceſsionis; vniuſcuiusq. virtutem pulſus pertingendo, vtrum cum hoc victu, vel cum illo poſsit perdurare, an vſque ad morbi remiſsionem abſque cibo ſufficiat, & quod vnicuique tempus cibi exhibendi magis opportunum; habita etiam de hac re à Medico ſententia, ſecum ipſe perpendat; tum ptiſanā, carnium contuſa, iuſcula, vina, ſi quæ ægrotis exhibentur, an ſecundum rationem parata fuerint, animaduertat. Si vero acceſsio vel ægrotum corripuerit, vel iam immineat, ſi is ſine aliquo alio cibo vſque ad morbi remiſsionem pro viribus valeat perdurare, ab omni alimento ieiunus, ac vacuus relinquatur. ſi vero de virium debilitate vereatur, diffuſo prius calore per totum corpus, & ad pe-

des deſcenſo, aliquod alteratum cum ſimplicibus medicamentis accommodatis iuſculum; &, ſi de virium robore maxime pertimeſcat, admixtum cum vitello ouorum exhibeat; nec alio alimento enutriat, donec morbus penitus remiſerit; at, ſi vel in longum protrahi acceſsionem, vel nullam habere remiſsionem comperiet, in eo morbi ſtatu ægrum alimento inſtauret, quo & accidentia remiſſiora, & æger ipſe, dum ſanitate frueretur, cibum capere ſolebat. Sed, ſi in toto acceſsionis curriculo aliquod reperiatur tempus, quo morbus leuior exiſtat, tunc alimenti ſumendi erit capienda occaſio. In quibus vero, & morbi magnitudinem, & virium imbecillitatem cognouerit Aſsiſtens, Galeni illo 1. Aph. inſtituto vtatur, vt parum, & ſæpe æger nutriatur. Ideo, cum ægrotantium nutriendorum munus in publicis Hoſpitijs ad Aſsiſtentem ſpectare videatur, omnes, qui præcipua cura in cibo capiendo indigebunt, in ſuo aduerſariolo deſcriptos, ac adnotatos habeat, quos ſæpius in die recognoſcat; neque labori parcat. tanti enim ponderis eſt, ægros in priſtinam ſanitatem reuocare, vt, qui hæc præſtant, non ſolum ſummis laudibus, & honoribus ab hominibus habeantur, ſed etiam Diuina munera imitari videantur.

BARTHOLOMAEI VICARII MEDICI

De optimo ægrotantium Aſſiſtente, & eius officio in ſingulis morbis,

LIBER SECVNDVS.

PROOEMIVM.

SATIS à Philoſophis vſurpatum in omnium ore ſæpe verſatur axioma illud, Omnem vim, atque facultatem, quæ aliquando ad actum non redigitur, inanem, & ſuperuacaneam eſſe. Noſter etiam in libro ſuperiori labor, in quo Aſsiſtentem fere omnia, quæ in medica facultate in ægrotantium ſalutem à clariſsimis Medicis inſtitui ſolent, communi quadam ratione edocuimus, inanis profecto iudicaretur, niſi, quo modo ea in quocumque morbo ſint adminiſtranda, in ſequenti libro demonſtremus. Propterea, cum omnis noſtra cognitio ab vniuerſalioribus ad ſingularia deſcēdat, & inter morbos, qui noſtri corporis habitum, conſtitutionemque maxime corrumpunt, & totum corpus occupant, febres ſeſe primo obijciant: Ideo in ſecundo hoc libro, quod in huiuſmodi affectibus officium Aſsiſtentis futurum ſit, non maiori breuitate, quam facilitate, diſputabo.

De Aſsiſtentis officio, in Criſibus, & diebus decretorijs cognoſcendis.
Cap. I.

EA eſt nobis vis indita, atque innata, vt, quamuis humorum cor ruptioni, & contagio ſæpe ſubijciamur, nos tamen ab omni offenſione, & noxa, tueri, ac defendere contendat; idque vt facilius conſequatur, omnia prius, quæ ad aduerſarij impetum comprimendum, ac propulſandum, opportuna eſſe iudicabit, qua poteſt celeritate, & ſtudio ſubminiſtrat. Vbi autem omnia, quæ ad ſui firmitatem intelligit eſſe comparata, ſeq. validiſsimis armis munierit; tentatis etiam antea hoſtium viribus, certoq. ſtatuto ad pugnam tempore, ſummo impetu, atque contentione in hoſtem irruit; & ita cū eo contendit, decertatque, vt nūquam à certamine, & pugna diſcedat, donec penitus morbum deuicerit, & debellauerit. Sed, cū inter aduerſarios nulla ſoleat iniri pugna, in qua alter alterius arma non experiatur; ideo, cum natura ad morbos expellendos inſurgit, tanta inter ipſam, & morbū oritur contentio, totq. ſuperueniunt accidētia, vt modo hinc, modo illinc victoria inclinare videatur. Sed, ſi ea præſidia, quæ ſuperius enarraui, qualis eſt humorū cōctio, & maturatio, natura ſibi adiunxerit, certam de noxijs humoribus ſibi poterit victoriā polliceri. At, ſi hoſtis, in inſidijs latitans, eam inermē, & omni præſidio ſpoliatam ex improuiſo aggrediatur, deiectis tribus illis virtutibus, naturali, animali, & denique vitali, caloreque innato extincto, etiā ſi aliquando vires reſumpſiſſe, & obſtitiſſe videatur, poſtremo ſuccumbat neceſſe eſt. Ex hac vero pugna, & contentione, quæ inter naturam, & morbum ſæpe oritur, ab Aſsiſtentibus, perpenſis vtrimque viribus, quis horum victoriam conſequatur, facile dijudicatur. hoc autem iudicium Criſis nominatur. Verum non ſolum huiuſmodi naturę motus, & humorum inſultus, hoc Criſis nomine fuerunt appellati; ſed ſæpe etiam pro humoris peccantis euacuatione, & mutatione illa ad ſalutem, vel ad mortem, nomen Criſis fuit vſurpatum. Ita refert Galen. 2. de Criſ. At vero Hip. nomine Criſis perfectam ſupra morbum victoriam, & ad ſalutem mutationem intellexit. propterea 1. Aph. 19. dicebat, quæ iudicantur, & iudicata ſunt integre, neque mouere, neque nouare aliquid, ſiue medicamentis, ſiue aliter irritando, ſed ſinere. Aſsiſtens vero noſter ad hos naturæ motus cognoſcendos, omnem curam, diligentiamque adhibeat. In quorum cognitionem deuenire

nire minime poterit, niſi prius morborum tempora optime perceperit. &, cum Galenus 1. de Criſ. de his quam diligentiſsime diſputauerit, hoc in loco, morborum tempora edocere, ſuperuacaneum eſſe iudicani. Illud autem Aſsiſtens nunc pro certo habeat, Criſes, & repentinas iſtas mutationes, non niſi poſt humorum maturationem, & in totius morbi ſtatu, fieri ſolere. Status autem morbi ex ægritudinis forma, anni tempore, cæli conſtitutione, circuituum proportione, acceſsionum præuentione, & vehementia, ex mox apparentibus, abſoluta humorum concoctione cognoſcitur. concoctionem quidem ex vrinis, alui excrementis, ſputis petere oportet. Ita nos docet Gal. lib. de quattuor morborum temporibus, 1. de criſ. c. 3. & 2. de criſ. cap. 12. In his autem ſignis; & temporibus contemplandis, præcipuum debet eſſe Aſsiſtentis ſtudium. maxime etiam refert intellexiſſe, an fuerit à natura perfecta Criſis, nec ne. Hip. enim 1. Aph. 20. dicebat, Cum natura mouet, & integre humores noxios euacuat, nullam aliam artis miniſter aggrediatur euacuationem. At, cum natura non ita firma eſt, vt omnes humores propellere potuerit, moue tu loco eius, dicebat Auic. An vero perfecta, vel diminuta fuerit naturæ Criſis, ex his potiſsimum rationibus, & argumentis conijcere poterimus. Si enim natura in diebus criticis, in quibus contra morbum inſurgere ſolet, huiuſmodi euacuationes tentauerit, & in vrinis, alui excrementis, ſputis concoctio præceſſerit, ſi praui humores euacuati, ſi ex ea euacuatione æger morbo vacuus, & liber, ſi conferentiam, & totius corporis leuitatem perceperit, vt dicebat Hip. 1. Aph. 2. ſi talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt, ea erit dicenda perfecta criſis. Si vero aliquid ex his deerit, diminutam Criſim appellabimus; & præſidia eo tempore, quibus natura perficiat, Aſsiſtentes, & Medici ſubminiſtrabunt. At vero, ſi mala futura ſit Criſis, etiam ſi fiat ijſdem aliquando temporibus, quibus natura ſuam contra morbum aggredi ſolebat pugnam, tamen neque concoctionem in excrementis, neque eam tolerantiam, & vtilitatem, quam deſcribit Hip. ægri percipient. Ideo Aſsiſtens, cum in humoribus, vel in principio morborum, vel alijs temporibus, ſine concoctionis ſignis, agitationem, motuſque fieri intelligat, & ægri uires debilitari, difficile reſpirare, toto lecto ita eos agitari, vt loco ſtare neſciant, ſi deliria, vigiliæ, conuulſiones, graues vomitus, ſudores frigidi, ſtillicidia ſanguinis e naribus appareant, cum ex vrinis perturbatis, confuſis, nigris, nullum concoctionis ſignum in ſe habentibus, malam Criſim pertimeſcat, &, quo ad fieri poteſt, ægri

uires foueat, hisque accidentibus ſeſe, quibus poteſt præſidijs, opponat. Hæ autem Criſes, quæ ægrum vel omnino à morbo vindicauit, vel in extremam perniciem detrudunt; ita ſubitæ, & repentinæ, non niſi in morbis acutiſsimis inſpiciuntur. In ceteris vero natura, partim concoquendo, partim expellendo noxios ſuccos, partim uires augendo; donec morbo penitus fuerit libera, paulatim procedit: & hæc etiam Criſis ſolet appellari. eos vero dies, quibus hæc pugna, celeriſque mutatio, ſiue ad ſalutem, ſiue ad mortem fit, Decretorios dies Medici nominare conſueuerunt. Nam experientia, & diuturna obſeruatione confirmatum eſt, certis, ſtatutiſque diebus naturam morbum aggredi ſolere: hanc autem Criticorum dierum obſeruationem, & experientiam primo omnium, qui de re medica ſcripſerit, Diuino Hippocrati acceptam referemus. Etenim is, naturæ motus diligentiſsimus indagator, in Epidemijs, alios ſeptimo, alios vndecimo, pleroſque decimo quarto, vigeſimo nonnullos, trigeſimo, quadrageſimo, centeſimo, partim ad ſalutem, partim ad mortem judicatos fuiſſe, enarrat. cauſſam vero, cur natura hoc, & non alio die ad morbi expulſionem moueatur, Gal. 3. de diebus decret. c. 1. in inordinatum humorum motum, & cælorum ordinatas, perpetuasq. euolutiones, & in ſiderum, lunæque aſpectus reijcere videtur. Sed, an id ſiderum viribus, vel naturæ, morbique motui ſit adſcribendum, longa, & à noſtro inſtituto aliena indigeret oratione. Aſsiſtens vero noſter ex Hip. 3. præſag. 7. & 8. morbos à prima die animaduertat; & ſingulos dierum quaterniones obſeruet. morbos enim acutos dicebat Hip. 2. Aph. 23. & lib. de iudicationibus, quattuordecim diebus iudicari. & ex eodem Hipp. 2. Aph. 24. ſeptennorum quartus eſt uidere alterius ſeptimanæ octauus principium, eſt etiã vndecimus contemplabilis. ipſe enim eſt quartus alterius ſeptimanæ. rurſus vero decimus ſeptimus eſt contemplabilis: ipſe ſiquidem quartus eſt à quarto decimo, ſeptimus vero ab vndecimo. inter morborum acutorum decretorios dies vigeſimus primus etiam numeratur. in morbis autem longis, & trigeſimus quartus, quadrageſimus, ſexageſimus, octuageſimus, centeſimus, centeſimus vigeſimus inter decretorios adſcribitur. Dies vero ex Gal. lib. 1. de criſ. c. 16. & lib. 2. c. 2. die, & nocte cõponitur, neque ab ea hora, qua cœpit æger vel capite dolere, vel aliquid circa corpus præſentire, ſed quando febre fuit correptus, morborum tempora Aſsiſtens ſupputabit, & enumerabit. in morbis præſertim acutis impares dies in omni re medica adminiſtrãda maxime vereatur. Hip. enim lib. 4. de morbis dicebat, imparibus diebus dolẽt maxime homines, quod cõ

turbetur

turbetur humor imparibus diebus. Itaque, cũ in huiuſmodi diebus, & humorũ motus fieri, & natura in morbũ in uhei ſoleat, etiam ſi ſæuiſsima appareant accidentia, ſi vel cibo, vel aliquo alio pręſidio adhibito ab eo eum morbo congreſſu naturam reuocemus, ei detrimẽto potius erimus. At vero, cum & ſextus a Galeno Tyrannus nũcupetur, nullumq. in decimo ſexto, & duodecimo referat ægrum bene fuiſſe iudicatum; eos à veris criticis ſeparabimus; & cum ipſo Galeno inter decretorios dies ſeptimo principem locum tribuemus; cui decimus quartus proxime accedet. poſt hunc ſumma erit decimi ſeptimi dignitas, & amplitudo. Verum, vt breuiter orationem noſtram retexere, & omnia quibuſdam cancellis circumſcribere videar; Aſsiſtens primum febris ingreſſum animaduertat; deinde, an paribus, vel imparibus diebus accedat; ſi imparibus, tertius, quintus, ſeptimus, nonus, vndecimus, decimus tertius, decimus ſeptimus, vigeſimus primus; poſtmodum vigeſimus quartus, trigeſimus, quadrageſimus, ſexageſimus, octuageſimus, centeſimus, centeſimus vigeſimus eſt cognoſcendus. At, ſi pares dies acceſsio ſequatur, in iiſdem iudicatio fiet. & ſi in huiuſmodi temporibus grauia inſurgant accidentia, præcedente aliqua humorum concoctione, iubeat Aſſiſtens ægrum hilari, ac firmo eſſe animo, eique quam citiſsime, vel ſudore, vel ſanguinis profluuio è naribus, vel ſpontaneis vomitibus, vel per internam aluum humorum euacuatione, certam de morbo victoriam reportaturum eſſe polliceatur. neque tunc, vt ignaræ, & imperitæ mulieres, ſtatim, vel ad carnium contuſum, vel iuſculum ſorbendum, vel fotus, & epithemata adminiſtranda recurrat. Etenim Gale. primo de diebus decret. cap. 2. dicebat, ex peccato, & ægri errore, vel Medicorum aliquid ſemper molientium, quo plus præſtitiſſe videantur, criticorum dierum iudicia ſæpe peruerti. Sed, ſi neque concoctis humoribus, neque in diebus criticis, & cum magna virium iactura, grauia ſymptomata exoriantur, & ſuperuacanea humorum euacuatio, ſequatur, non ſolum ægrotantium propinquis, in quanto periculo ij verſentur, prædicendum eſt, ſed etiam omni conatu audacter contra iſta ſymptomata eundum, virtusq. ægri, quoad fieri poteſt, manutenenda, ne quid, quod ad ægri ſalutem, incolumitatemq. pertineret, ab Aſsiſtente prætermiſſum eſſe videatur.

De Aſſi.

De Aſsiſtentis Officio in vomitu in initio feb. ciendo, vel ſpontaneo obſeruando. Cap. II.

QVemadmodum plantis, ac ſtirpibus, vt proprium ſibi alimentum ex terra traherent, natura radices indidit; ita quamplurimis animantibus, cum non ſemper alimenti ſumendi ſeſe offerret occaſio, ventriculum fabricauit, in quo cibi aſſumpti concoquerentur, & inde venæ, ceteræq. noſtri corporis partes, quo deperditam ſubſtantiam repararent, proprium ſibi alimentum aſſumerent; in quem ſi tantum cibi ingereretur, quantum ad corporis nutritionem ſufficere videretur, eo vſque ſine aliqua noxa, & detrimento vita noſtra propagaretur, quo vſque vltimus nobis à Deo Opt. Max. vitæ terminus eſſet perſcriptus. Verum, partim alimentorum ſuauitate capti, partim deprauata conſuetudine decepti, ſæpe, plus, quam ipſius ventriculi facultas patiatur, cibi aſſumimus; & hinc ventriculi facultas, m ultitudine alimenti oppreſſa, ac concoquendo defatigata, à ſuo munere deficit, & ſuccos ſemicrudos, & inconcoctos derelinquit; qui, niſi ſponte ſua per vomitum ſurſum euacuentur, vel in inferiorem ventrem deſcendant, grauia ſymptomata parere conſueuerunt. ſed, cum non ſemper huiuſmodi humores noxij, vel quia ipſius ventriculi tunicis maxime adhæreant, vel quia à natura nulla vis ipſis inferatur, exitium ſibi quærant; ideo naturæ miniſtri, vt eam ab omni noxa, & detrimento incolumem conſeruent, & tueantur, multas, quibus ſe huic malo, & incommodo obiicerent, vias, rationesq. adinuenerunt, quas multo ante ipſa morborum expultrix, medicatrixq. natura edocuerat: ex quibus præcipua eſt humorum per vomitum euacuatio. quæ ſi commode, & opportune fiat, ſola valet nos à pluribus affectibus vindicare. Etenim Aet. lib. 3. cap. 119. ex Rufo, vomitum pituitam mouere, caput leuare, eum, qui auidius cibum ingeſsit, aut plus vini hauſit, lędi prohibere, nimiæ corporis moli auxiliari, gracilibus opitulari, omnes fluidas affectiones, vt vlcera renum, & veſicæ, ani, elephantiaſi, cancros deprauatos, articulorũ affectus perſanare, Hydropicis, regio morbo, & comitiali à ventriculo laborãtibus ſubuenire, ſideratis, & difficile reſpirantibus, & melãcholicis conducere teſtatur. & Gal. 1. ad Glauc. multas refert tertianas ſolo vomitu fuiſſe curatas. Nõ ne etiam Hip. 4. Aph. 6. aſſerit, leuitatem inteſtinorum vomitu perſanari? & eodem loco, dicebat, æſtate per ſuperiora, hieme per inferiora eſſe purgandum.

&

& idem 6. Epid. com, 2.t.9.& Raſis 9. ad Almanſorem cap. 16.nonne vomitum vomitu curant? Quare Hip. lib. de ſalub. vic. t.21.vomitum hieme cum aqua tepida, & oxymelite faciendum eſſe præcipiebat. eo enim tempore, cum pituita in ventriculo redundet, ſi concoqui non poſsit, vomitu eiicienda eſt. & Gal. quarto de vſu part. cap. 4. ſummopere laudat antiquos, qui bis in menſe vomendum eſſe ſancierunt;quippe,qui multos perſanet morbos, & ſine alicuius membri detrimento fiat. ceteræ enim per calida medicamenta inſtitutæ euacuationes, ſua caliditate, & inſita prauitate, cum non ſolum febres augere, ſed etiam viſcera corrumpere, & labefactare ſoleant, damnantur potius. Quare Aſsiſtens noſter non ſolum hæc intelligat, & memoria teneat; ſed, cum ſæpe in ipſo febris inſultu vomitus ſuperueniant, ſi ſponte, & facile, omnia naturæ committat; ſi vero difficile,& ſummis conatibus æger agitetur, aliquo leui euomitorio, vt eſt aqua tepida cum oxymelite, vel ſyrupo acetoſo, penna immiſſa, adiuuabit. In omnibus autem vomitibus arte parandis, non ſolum ab elleboro, ſed etiam à ſtibio illo præparato, & omnibus vehementibus vomitoriis, maxime caueat. Sunt præterea ab Aſsiſtente, & affectus ipſi, an conueniant, nec ne,& ægrotantium natura, & temporis conſtitutiones, in quibus huiuſmodi vomitus adhibentur, quam diligentiſsime perpendenda. Vbi autem caput per ſe laborat, neque à partibus inferioribus foueatur,ſi vomitibus vtamur,maiorem ipſi noxam inferemus. Etenim ex Hip. 6.epid.com.3.t. 7. & Auic. 4. primi cap. 11. aſcendentibus ſurſum per vomitum humoribus, caput, eorum ſpiritus recipiens, maiorem contrahet affectum. debili vero virtute exiſtente, & iis, qui anguſto ſunt pectore, ob longo collo, & fere ad tabem deuenerunt, omni vomitu interdicatur. Ita & Hip. quarto Aph. 12. & Gal. lib. de his, quos, & quando,decreuerunt. Aſsiſtens vero, quia ſolum vomitibus, qui in acceſsionum principio ſuperuenerint, intereſſe ſolet, ſtatim atque nauſea, & ipſi vomendi conatus accedant, ita ægrum collocet, vt capite ſit inclinato,vel manu, vel alia re ventriculi regionem comprimat, adſint vaſa, quibus humores per vomitum eiecti excipiantur, paretur aqua, qua & os,& oculi ſtatim poſt vomitum abluantur:oculi enim in vomendo maxime turgent, & læduntur. Si vero vomitus arte parentur, ſemper à leuioribus inchoandum eſt; & id, quod pro vomitu ciendo ſorbendum datur, & in maiori copia, vt ſuo pondere ventriculum ad vomendum impellat, & tepidum ſit: tepida enim ipſius ventriculi retentiuam virtutem deiiciunt; neque ad vomendum inepti ex Celſo cogendi ſunt; neque

fre-

frequenter vtendum: frequentia enim deiicit actum virtutis. & ſi in acceſsionibus ab omni re abſtinendum eſt, vomitum tamen ciere in ipſa acceſsione conſultiſsimum erit. abſoluto vomitu, æger defeſſus per horam conquieſcat, non tamen dormiat, niſi febris cœperit inclinare; ſi vero, hauſto vomitorio, nec, penna oleo infuſa per os immiſſa, euomat, tranſacto acceſsionis principio, dormiat æger: vel enim ex ſomno ſudor per totum corpus emanabit, vel aluus ſoluetur, & vna cum vomitorio noxij humores per infernam aluum euacuabuntur. Humores per vomitum eiecti, & in vaſe puro ab Aſsiſtente conſeruati, Medicis oſtendantur, vt facta de eorum copia, & natura coniectura, quid in ægrum in poſterum agendũ ſit, facile decernant. At, ſi non ſolum in febre, ſed etiam in aliis affectibus ita vomendi cupiditas vrgeat, vt cibum ægri minime valeant continere; euacuatis his humoribus, qui ventriculi tunicas vellicant, & ipſum ad vouendum impellunt, ſi non à natura, arte ſaltem: dicebat enim Hip. 6. Epid. Vomitus vomitum curat; ventriculus abſinthio, vel oleo maſticino foueatur; vel emplaſtrum de cruſta panis, vel ceratum maſticinum ventriculi regioni applicetur; os aqua frigida, aut vino granatorum, vel iis omnibus, quæ vapores reprimendi vim habent, ſæpe colluatur; vel cucurbitula ipſi ventriculo ſine inciſione applicetur.

De Officio Aſsiſtentis in fluore ſanguinis è naribus, & ſudore ſpectando. Cap. III.

VArij ſunt, quibus morbi terminantur, modi, ſiue ad ſalutem, ſiue ad mortem tendant. nam & per ſudorem, per vomitum, ſputum, ſanguinis fluorem è naribus, per inferioris alui euacuationem, per abſceſſus, vrinam, inſenſibilem tranſpirationem finiuntur, quas quidem rationes, & vias, ſi natura non tentet, vel tantum aggrediatur, nec abſoluat, Medici, naturæ miniſtri, cognita prius ea, quæ tutior ſit, & à natura fuerit præmonſtrata via, perſpectis ægri viribus, morbi magnitudine, & humorum concoctione, toti in morbi expulſionem incumbunt. propterea is, qui ægro aſsiſtit, non ſolum iis, quæ præceps occaſio continuo affert, obſiſtere, ac ſe ſe obiicere debet, ſed omnia adnotet, & animaduertat, quibus vel futuræ criſis cognitionẽ Medici habere facile poſsint, vel in vitæ diſcrimen ægri inducantur: nam vtraque, & ad ægri ſalutem recuperandam, & Medicorum famam ab omni maledicendi ſtudio, & infamiæ nota vindicandam facere videntur. ſæpe enim plurimos, & febre immunes, & ea correptos, copioſo è naribus

ſan-

ſanguinis profluuio ſanitati reſtitutos fuiſſe comperimus : in aliis vero ita naturæ limites ſanguinis fluor tranſgreſſus eſt, vt ij vna cum ſanguine vitã profuderint. Itaque, ſi nimia copia id oriri Aſsiſtens coniiciat, tantum ſanguinis patiatur euacuari, donec copia illa, & pletoria fuerit diminuta, ſemper virium habita ratione. Si vero ex ſanguinis caliditate, & tenuitate, id contigerit, craſsiores fiant humores. at, ſi ex venarum fractura, concludendi, ac conſtringendi ſunt meatus. ex quacumque autem cauſſa ſanguinis, vt Hippocr. in epid. appellat hæmorrhogia procreetur, ſi vires proſternat, comprimenda eſt: cum enim ex nimia ſanguinis euacuatione multi ſpiritus exinaniantur, refrigeratis viſceribus, vel in malum corporis habitũ, vel in hydropem, vel in certam, & ſubitam mortẽ ægri deuenient. Ideo Aſsiſtens, viribus cum ſanguinis euacuati copia comparatis, profluuium comprimendũ eſſe coniiciens, primo ſanguinis miſsione eiuſdem lateris cęphalicæ anguſtǫ vulnere parum, ſed ſæpe repetendo à capite reuellat; ſi hoc remedio non deſiſtat, hypocondrio eiuſdem lateris cucurbitulæ ſine inciſione affigantur, inferiores partes arctiſsimis vinculis obligentur, confricenturque. his prius peractis, tempeſtinus erit fronti, & naribus infrigidantium, & adſtringentium vſus. Galenus enim 5. Met. & libro de ſanguinis miſsione, dicebat, ſi localia remedia, antequam diuerſiones, & reuulſiones fuerint adminiſtratæ, parti affectæ applicentur, conuulſione, ſpirandi difficultate, & ſæpe etiam morte, huiuſmodi profluuia terminari. propterea deprauata eſt eorum conſuetudo, qui in quoque ſanguinis profluuio, nec miſsione ſanguinis, nec cucurbitulis, nec ligaturis, humoribus ad contrarias partes deriuatis, vel argillam cum farina volatili aceto roſ. & albumine ouorum frigidam fronti inmponunt, vel linea petia, in frigida poſca infuſa, collum obuoluunt, vel pulueres ex bolo armeno, ſtercore aſinino, eiuſdem ægri ſanguine torrefacto, gypſo, fuligine, ſiue per ſe, ſiue cum ſucco plantaginis, aut ouorum albumine immixtos naribus iniiciunt. hæc, cum pluribus aliis, ſuis temporibus, & commode adhibita, quaſi incantamenta eſſe videntur; præter rationem vero adminiſtrata, ægris interitum, Aſsiſtentibus dedecus, & infamiam attulerunt. Et, quoniam ex nimio ſanguinis profluuio, non ſolũ ægri ipſi, ſed etiam propinqui & miniſtri maximo timore afficiuntur, omnes ab Aſsiſtente variis rationibus, & diligenti, aſsiduaq. remediorum adminiſtratione confirmandi ſunt; &, præcipuis præſtitis remediis, deinde localibus applicitis, iubeat ægrum recto capite collocari, &,

ſi fieri poteſt, dormire: multas enim ſanguinis hæmorrhogias, ſolo ſomno, & quiete vidi fuiſſe perſanatas. conclaue, vbi reſidet, ſit amplum: frigidis floribus, frondibusque niteat: claudantur feneſtræ: aqua aceto admixta pauimenta perſpergantur: omnium ad eum, præter miniſtrantium, acceſſus prohibeatur: & denique omni quiete, & taciturnitate, animique tranquillitate vtatur: &, ſi cruſta vel ex ſe, vel arte fuerit inducta, nares ſiue digitis, ſiue aliter pertingere, & vellicare caueat. Sudor vero ex Hippo. & ſi morbis eſt communis, febres præcipue per eum ſoluuntur, qui, ſi diebus decretoriis, concoctionis ſignis, febris ſolutione, ægri tolerantia acceſſerit, celerem, tutamque ſanitatem pollicetur. at, ſi in principio morbi, neque maturatis humoribus, neque in die critica, neque calidus, neque in toto corpore, neque febrem ſoluat, vel naturam ab humorum copia opprimi, vel morbum in longum protrahi, vel ad ultimum deuentum eſſe ſignificabit. Quare, ſi Aſsiſtens, ſiue in principio, ſiue alio tempore fiat, humiditatem quandam frigidam, dum maxime ęger intus æſtuat, in toto cum maxima virium iactura perſpexerit, de ægri ſalute omnino pertimeſcat; & vel flabello frigidum aerem excitando, vel oleo roſaceo omphacyno, totum corpus fouendo, ſudorem illum comprimat, atque conſtringat: ſin vero in die critica, & in humoribus concoctionis ſignis præmonſtratis ſudor incipiat; neque multis tegumentis cogendus, ſed iuſculis, in quibus ea, quæ ſudorem prouocant, incocta ſint, & frictionibus leuibus cutis meatus aperientibus, & ſomno prolectandus, nec loco æger mouendus, donec omnia bene maduerint. amotis deinde linteis madefactis, & bene corpore deterſo, aliis candidioribus, omnique humore vacuis, lecto inſtrato cooperiatur iterum æger leuiter; &, ſi natura nouum ſudorem aggrediatur, eadem agenda erunt, ſemper virtutis habita ratione, ne ex nimio ſudore proſternatur. quo abſoluto, quia ut plurimum ægri febre etiam liberantur, accommodatis alimentis nutriantur.

De Officio Aſsiſtentis in alui fluoribus in febribus contingentibus. Cap. II.

NAtura nonnumquam, vel humorum deprauata vi, vel copia laceſsita, ita ad eos euacuandos inſurgit, vt, fere ſui muneris oblita, nec vlla ratione ſeruata, præceps feratur. nonnumquam ita ſagax eſt, & ea vtitur in ſuo munere prudentia, & moderatione, vt certo, ſtatutoq. tempore, ac paulatim, ſuum opus aggrediatur. Ideo diligens Aſsiſtens, eam in hoc ſtatu conſeruare, ab illo reuocare conabitur. Verum, cum in noſtra poteſtate minime poſitum ſit, inordinatos, celereſq. eius motus cohibere, quos tamen poterit conatus intendiſſe, & ſummam curam, diligentiamq. adhibuiſſe, ſat erit. Alui fluores, & ſpontaneæ humorum euacuationes in principiis acutorum morborum, etſi ab Hippocra. & Gale. maxime damnantur, cum omnem humorum euacuationem præcedere debeat concoctio, non tamen, ſi qui euacuantur humores naturæ aduerſarij, ac rebelles, conſtringendi, retinendiq. ſunt, quippe, qui intra corpus concluſi maiora afferant incommoda; ſed eorum vis ita abſumenda, impetusq. retardandus, vt, ſi non vtilitas ex eorum euacuatione, detrimentum ſaltem non inferatur. &, quoniam huiuſmodi alui fluores, partim ex ventriculi, & inteſtinorum vitio, partim ex corruptis humoribus excitari ſolent, partim aliunde, vt a capite, hepate, liene, humiditates in inteſtina demandantur: Ideo, antequam ad eorum curam accedamus, hæc inter ſe diſtinguantur, & vniuſcuiuſque cauſa cognoſcatur. Si enim alui fluor ex ceteris partibus originem trahat, partes prius mandantes confirmentur, & humores alio deriuentur; poſtremo ventriculus, & inteſtina corroborentur; ſi vero ab humorum corruptela proficiſcatur, ex Celſo miſcenda cum iis noua materia, vt eorum prauitas confringatur, debiliteturque; tum ipſa inteſtina, ne ex eorum tranſitu aliquod detrimentum patiantur, aliqua re pingui, vt ptiſana, pinguedine renum hirci, arietis, mucilagine, pſilij, quæ ipſis inteſtinorum tunicis inhæreat, muniantur. Eſt igitur in huiuſmodi affectibus Aſsiſtentis officium, non ſolum quoad medicamenta, pro Medicorum inſtitutis eos regere, & gubernare, ſed omnibus, quæ ad eorum incolumitatem facere videbuntur, proſpicere, in lecto ſine aliquo motu contineantur; &, ſi excernendi voluntas aduenerit, vel vaſa in ipſo lecto, vel lin-

tio difficile cognoſcitur, an cum putredine copuletur; Ideo minime Aſsiſtens ad balnea confugiat. humores enim in corpore coaceruati, & aliqua parte præter rationem retenti, ex nimio motu agitati, vel ex calore inflammati, febrem accendunt; quæ cum à ſola cauſa extrinſeca originem duxiſſe putetur, pro diaria habetur, curaturque. Verum ſecunda expectetur dies, in qua vel febris imminuetur, vel putredinis ſigna manifeſte prodibunt; neque antea capiti quidquam frigidum imponatur. & ſi Aet. oleo roſ. & violaceo caput infundendum eſſe ſuadet, is tamen calidam intemperiē ipſius capitis curat. At, cum vix fieri poſsit, quin in febre ex nimio motu, & ex æſtiuo calore excitata vapores ex inferioribus partibus eleuati ad caput rapiātur, ſi oxyradino ipſum perfundatur, futuræ, aliæque viæ intercludentur, & ex diaria migrabit in putridam. Quare, vbi anceps eſt animus, ſimplex ne diaria, vel cum putredine con iungatur, neque medicamento, neque venæ ſectione, neque balneo ægri agitandi ſunt, ſed debita, & accommodata viuendi ratione vſque ad tertium regendi. At, ſi ex cura, triſtitia, ira, quis febre laboret, quouſque huiuſmodi animi motus, eo vſque febris perdurabit; Prius igitur hi ab Aſsiſtente cognoſcantur, antequam ad aliquod præſidium deueniat; &, cum is continuo cum ægro verſetur, inter familiares congreſſus, omnia pertentet, quibus in eius intima pene tret, vt, quo magis inclinet, & vergat, facile conijciat. ſi vero ægri vultum, vel pulſus, cum de aliqua re, ex qua, vel dolorem, vel voluptatem percipiat, ſermo habetur, ſenſerit immutari, & pulſus celeriores, frequentioreſque reddi, ea erit illius affectus cauſa, & origo. Ideo diligens Aſsiſtens, ſi aliquid pertentare, & ab ægro excerpere cupit, ſemper eius pulſus præ manibus habeat. Memini enim ſuperioribus annis virum nobilem in huiuſmodi febrem incidiſſe: ad cu ius curam cum plures ſummę dignitatis Medici eſſent aduocati, &, præſtitis vniuerſalibus euacuationibus, multiſq. alijs præſidijs pertentatis, ſtatutaque, quæ ſolet in febribus putridis, viuendi ratione, febris tamen potius augeri, quam imminui videbatur; &, cum per menſem ita perduraſſet, alter fuit accerſitus Medicus, qui omnem medendi curam in cauſæ cognitionem collocabat. cognitis ijs, quæ ab alijs Medicis peracta erant, perſpectaq. in vrina, & alui excrementis nullum adeſſe putredinis ſignum, ab illius ægri miniſtris, & Aſsiſtentibus percūctatur, qua in re æger, dum ſanus degeret, magis eſſet occupatus, ludo ne, an amori, mercaturæ, litteris operam daret. quorum vnus, cui æger omnia ſua fideret, ludo inquit, deditus eſt; &, antequam in febrem incideret, ducentos aureos alearum ludo conſumpſit: quos cum ſoluendo non ſit, (erat enim is filiusfa-

milias)

milias) ſumma angitur cura, animique moleſtia. Quæ cum doctiſsimus Medicus cognouiſſet, vario cum ægro habito ſermone, ſemperque eius pulſus pertractans, ludi mentionem fecit: ex quo pulſus celeriores redditi,& vultus non nihil immutatus:atque eam illius morbi cauſam fuiſſe ipſe euentus demonſtrauit.nam Medicus patrem ægri adiuit: cui inquit, Si filij ſalus tibi curæ eſt, trecentos nummos aureos ei hodie dono dato, nec,quid facturus ſit, requirito. ille libenter pro filij ſalute ſe omnia facturum pollicetur. æger vero ex miſsis ſibi per parentis ſeruum pecunijs ita eſt recreatus, vt ſequenti die febris penitus defecerit. Qui autem ex vigilijs febre corripiuntur,cum vt plurimum,curæ, triſtitiæ, iræ,vigiliarum ſint cauſæ; ideo primo hæc cognoſcenda, & remouenda, antequam medicamento ſomnum prouocemus,vel aliquid circa ægrum agamus: victus tamen ijs humidus conuenit, facilis cōcoctionis,& qui exigua copia maxime nutriat.nam,cum animi mores,& motus corporis temperiem ſequantur, ſummis curis, cogitationibuſque ægri diſtracti potiſsimam ſpirituum, caloriſq. partem fruſtra conſumunt; ex quo appetitus deperditio, macies totius corporis, ſqualor, perpetuæ febriculæ oriuntur. ſi vero ex deſtillatione, & grauedine febris inuadat, & hæc vel ab auſtralibus ventis caput replentibus, vel ex nimio frigore ipſum exprimente, ſeu ex calore materiam attrahente, & diſſoluente proficiſcatur, ſi multitudo adſit in capite,imminuenda,alio deriuanda,& reliqua incraſſanda, & concoquenda, vinum ijs nec ira percitis, aut capite calefactis minime concedendum; ceteris vero diaria febre laborantibus, ſiue vigilijs premantur, ſiue triſtes ſint, aut curis vexati, aquoſum, tenue, album potandum dato: concoctionem enim fouebit, animum exhilarabit, ſudores, vrinaſque propellet. Quibus autem ex inguinum inflammatione febris accenditur, antequam materia putredinem contrahat,ijs & venæ ſectione,& tenuiſsimo victu ſuccurrendum erit;vino interdicendum, balneum, antequam inflammatio deſierit, prohibendum, quies agenda, inflammationi poſtmodum medicamentum, quod emolliendi, relaxandi, diſcutiendique vim habeat, adhibendum. Maxime omnium in oratoria facultate Aſsiſtens ſit exercitatus, vt diaria febre laborantium animos ſedare, benignos, ac manſuetos reddere, ab ira, animique curis valeat reuocare.

De Aſsiſtentis Officio in Ethica febre. *Cap. VI.*

OPtimorum Aſsiſtentium, Miniſtrorumque cura, ac diligentia ita in morbis curandis neceſſaria cenſetur, vt horum ſolum ſtudium, & aſsiduus vſus valeat ægros in vitam reuocare. qui ſi ſuo officio, & munere fungi diligenter velint, tanti laboris eſt ægro aſsiſtere, vt nulla mercede, aut pretio eorum labores poſsint compenſari: &, ſi alicuius morbi ſanatio in Aſsiſtentis ſolum aſſidua cura verſabitur, vna certæ Ethicæ curatio perpetuo Aſsiſtentis muneri demandatur. Difficilis cognitionis in principio dicitur Ethica febris, quia raro ſola hominum corpora inuadit, ſed ex eriſypela, vlceribus, pulmonum affectibus, ardente, & putrida febre trahit originem. cum enim ij affectus, & febres diutius perdurent, & in ijs, vel Aſsiſtentium, vel Medicorum, vel ægrotantium indebita cura error committatur, calor in totius corporis ambitu, & in ipſo corde præter naturam accenſus, non ſolum humores conſumit, ſed etiam roridam illam humiditatem in extremis venarum oſculis, & inanibus corporis ſpatijs, deinde in ſolidis partibus exiſtentem, depaſcitur, & tunc vera febris Ethica eſt, & nominatur. Verum, cum ad eam deuentum erit, etſi facile ab vnoquoque cognoſcitur, tantam in ſe eius cura continet difficultatem, vt vix in partibus inſita flamma poſsit exſtingui. Nam, dum ægri pulſum perdurum, paruum, frequentem habent, & poſt cibum calor ille febrilis, vt calx aqua ſuperfuſa, efferueſcit, & in toto calor acris, & mordax perpetuo eſt diffuſus, excauantur oculi, naſus acuitur, tempora collabuntur, vngues acuti fiunt, pedes in tumorem attolluntur, emaciatur corpus, omnia ſqualent; quis erit ita ab omni ratione alienus, vel in re medica imperitus, qui, cum in ægris hæc ſigna inſpexerit, eos ethica febre laborare non aſſerat? Sed in hoc ſtatu hæc febris conſtituta, ſi ita facile curari poſſet, ac facilis eſt eius cognitio; ſatis commode cum ægrotantibus ageretur; nulluſque eſſet in ea curanda, vel Medicorum, vel Aſsiſtentium labor. Verum, cum ita difficilis curatu ſit ethica febris, vt ex ea ſalutis ſpes, vel exigua, vel nulla nobis ſuboriatur, eius magnitudinem aſsidua cura, diligẽtique præſidiorum adminiſtratione ſuperabimus. Atque omnis eius curatio in eo poſita eſt, vt refrigeremus, & humectemus, vel per balnea, vel alimenta, vel epithemata, vel extrinſecus aduenientia. apud veteres enim, vt eſt videre apud Gal. in Met. & Aet. lib. 5. c. 98.

ita frequens erat, non ſolum in hac, ſed in omnibus fere febribus, balneorum vſus, vt plurimi, quemadmodum refert Gal. ſolo balneo fuerint curati. Noſtris vero temporibus, cum non is ſit, vt fuit apud veteres, balneorum apparatus, ideo eorũ exoleuit conſuetudo: poterit tamen prope ægri lectum, labrum dulci aqua plenum parari; &, vt ab ægri corpore balnei vapor excipiatur, æger in lineo linteo inuoluatur, & à quattuor fortibus, robuſtis ve hominibus ſupra labrum tamdiu teneatur, donec aerem frigidum inſpiret, & corpus balnei vaporibus rarefiat. Iubeat deinde Aſsiſtens eum in lecto reponi, vbi parum quieſcat, vireſque reſumat; poſtea iterum alba, & excalefacta ſindone ab ijs viris excipiatur, vt pluries in aqua tepida, & temperata vna cum linteo, æger immergatur; &, quia de viribus pertimeſcimus, habeat aliam ſindonem albam, calidamque paratam, qua æger balneo egrediens contegatur, deinde eadem inuolutus, iterum inmergatur; idque, ſi per vires licebit, eo uſque faciendum eſſe ſuadeo, quouſque aliquis color rubeus in corpore eſfloreſcat, carneſque paululum eleuatæ videantur; poſt balneum oleo irino, vel violaceo inunctus, in lecto collocatus, mollibus linteis, tegumentiſque cooperiatur, & non nihil quieſcat. Verum, quia ex balneo vires debilitantur, & ſyncopis periculum imminet, ſtatim conuenienti cibo reficiatur. Dum hæc agũtur, claudantur feneſtrę, ſi hiems præſertim ſit: miniſtri idonei, & cibi parentur commodi. Antequam autem æger in balneum inmergatur, diligenter præuidendum erit, an ethica vel cum putrida ſit coniuncta, vel aliqua ex principibus partibus inflammatione laboret: tunc enim balneorũ vſus minime conueniet. victus etiam humidus ethica febre laboranti, qui alimenti, medicamentique facultatem habeat, comparabitur. huiuſmodi autem erit: vel lac mulieris, aut bubalum, aut aſininum, aut caprinum. is vero, cui lac eſt exhibendum, neque putridos humores in corpore continere, nec capite dolere, (lac enim ex Hip. capite dolenti malum) neque in uiſceribus aliquam duritiem, aut humorem habere, aut rugitus inferius præſentiri, neque magna febre laborare debet; ſed, ſi ex Medicorum conſilio lac propinare conueniat, primo die, ſoluto ſomno, quattuor horis ante aliũ cibum, lac vel e mamma ipſa ſugatur, vel recens mulctum, addito exiguo zacchăro, bibatur; &, ſi in uentriculo non corrumpatur, neque aceſcat, & facile digeratur, paulatim vſque ad ſemilibram ipſius copia augeatur: neque a lactis potu æger ſtatim vel dormiat, vel vehementer moueatur, ſi febris ſubſit. ex ſomno enim, calore febrili exiſtente, lactis ſpiritus ad caput eleuantur, cui vel dolorem, vel aliquod aliud ſymptoma excitabũt. ſi enim is, qui lac ebibit, fe-

bre,

bre,aut capite non laborabit, lacte epoto dormire maxime ei conueniet,cum præſertim ſomnus ad concoctionem, totiusque corporis humectationem plurimum valeat.Hordeatum quoque,vel ptiſana, ex tritico comparata, aut ius pulli, in quo hordeum mundum, lactuca, endiuia fuerint incocta, erit victus maxime ethicis accommodatus; omniaque alimenta, & facilis concoctionis, & optimi nutrimenti ſorbenda potius exhibeantur. cum enim in huiuſmodi ægris omnes facultates ſint debilitatæ, in cibis ſolidis atterendis, attenuandis, diſſoluendisque ſummopere defatigabuntur. ſi cancri etiam ab omni ſorde expurgati in aqua hordei ebulliant, ad ipſius hordei plenam,abſolutamque decoctionem, & huiuſmodi aqua ethici pro potu vtantur, non mediocrem percipient vtilitatem. at, ſi de alui profluuio dubitetur, hordeum, ex quo aqua paratur, ſit torrefactum, cui & gummi arabicum, & millium torrefactum, aliaque, quæ abſque calore aluum confirment,addi poſſunt. extrinſecus etiam applicentur ea, quæ & refrigerent, & humectent; iiſque præſertim partibus imponantur, quas ethicæ febris cauſas, originemque iudicabimus fuiſſe. Sed hypocondria præſertim, & renum regiones, & ſpinalis medulla, huiuſmodi lenimentis, & fotibus egebunt,vt butyrum ter lotum, & immixtum oleo violaceo, & teſtudinis ſanguine, vel ceræ lotæ. ℥ 1. olei roſ. loti lib. 1. liquefiant in vaſe duplici, deinde frigeſcant, poſtea ſucco lactucæ, vel portulacæ ſubigantur, & fiat lenimentum. Hæc, & quam plurima alia, modo frigida, modo tepida, ita tamen, vt hepati, lieni, pectori, ſpinali medullæ, nihil actu frigidum imponatur. Verum, quoniam ægri ob morbi diciturnitatem ſummo mœrore, animique cura afficiuntur; ideo vel variorum inſtrumentorum harmonia, & concentu, vel aliqua re, quæ lætitiam,& oblectationem parere ſoleat, ab huiuſmodi mœrore, & cura deducantur.

De Aſsiſtentis Officio in cura febris Tertianæ. Cap. VII.

TErtianam ſimplicem ab humore billioſo putreſcente,non in venis incluſo, ſed in reliquo corpore diffuſo, aut in parte aliqua firmato, Galen. & Hipp. medicinæ parentes originem ducere nobis teſtatum reliquerunt. Hæc febris Tertianæ nomine ideo fuit nuncupata, quod tertio quoque die accederet. hanc Hip. 4. aphor. 39. ſeptem periodis terminari dicebat. Verum, cum

ex Paul. lib. 2. cap. 20. noſtris temporibus ob immoderatam viuendi rationem, pituita cum bile maxime admixta ſit, ideo vt plurimum huiuſmodi circuitus diutius protrauntur; & propterea, auctor de coacis, modo quinto, modo ſeptimo, modo nono circuitu tertianam iudicari volebat. Cum autem ægros hæc febris inuadit, tanto eos concutit rigore, vt acutiſsimis aculeis compungi videantur: aucto vero calore, rigor remittitur, iactatur corpus, ſitis vrget inexhauſta, caput afficitur: tranſacto rigore, nonnumquam grauiſsimo ſomno premuntur, poſtmodum vigilijs cruciantur, pulſus in initio, tardi, parui, rari, ac debiles; poſt, magni, celeres, frequentes; &, quo magis febris ad inclinationem properat, eo citius ad naturalem ſymmetriam, & æquitatem reuertuntur. à prima, vſque ad quartam acceſsionem in ipſius inſultus principio multam bilioſorum humorum copiam ægri per vomitum excernere conſueuerunt; poſtmodum vero, cum humores tenuiores redduntur, & corporis meatus adaperiuntur, copioſiſsimo ſudore acceſsiones terminantur. vrinæ, cum per eas humorum peccantium natura demonſtretur, rubeæ primo ſine aliquo ſedimento, &, quo citius nubecula alba in ijs apparuerit, eo morbum breuiorem eſſe conijcimus. Is itaque, qui huiuſmodi febre laboranti aſsiſtet, hæc omnia præuideat, & præcognoſcat. Aduentante hora, qua febris eſt acceſſura, æger vigil contineatur: tum, frigore circa extrema incipiente, calidis pannis, tegumentisque ea inuoluat, vt vis, rigorisque impetus, qui poſt hanc perfrigerationem ſequitur, tegumentorum caliditate retundatur: &, quia nonnumquam ita vehemens accedit rigor, vt dentes ſimul conterantur, nec ægri os claudere valeant, ſummaque inſpirandi neceſsitate teneantur; ideo ijs ab Aſsiſtente aliqua prunorum oſsicula, aqua zaccharum violaceum, petiæ in mucilagine pſilij, citoniorum, cucurbitæ madefactæ in ore continendæ exhibeantur. etenim hæc non ſolum ad rigorem quam cito tollendum, ſed ad ſpiritus etiam, qui eo tempore quaſi ſuffocari videntur, recreandos, ſitimque, quæ rigorem ſequitur, exſtinguendam maxime valent. Et, ſi nauſea, & vomendi neceſsitas ſuperueniat, ab Aſsiſtente ea ratione, qua in capite de vomitu dixi, æger collocetur: ſi ſua ſponte humores bilioſi prodeant, in vaſe nitido, & perpolito excipiantur, vt eorum naturam, & copiam redeuntes Medici facile cognoſcant. ſit frigida aqua parata, qua amarorem illum ab huiuſmodi humoribus in ore derelictum æger abſtergat; ſin autem inanis ſola vomendi cupiditas ſubſit, & Aſsiſtens, aqua tepida cum oxymelite ab ægro hauſta vomitum ciere facile poſſe

conij-

conijciat, eam in magna copia exhibeat; ſin vero ægrum omnino ineptum ad vomendum intelligat, ex ipſius Celſi præcepto nullo modo cogatur, ſed continua oris collutione vapores nauſeam mouentes comprimantur, & obtundantur. Cum autem æger vndique iactari, tegumenta proijcere, frigus per lectum aucupari, valde ſitire inceperit, ad quietem ab Aſsiſtente varijs rationibus, argumentisque traducatur. ſi enim in quiete, & tranquillitate concoctio fit, & ex motu quam maxime humores agitantur, quo magis iactatur, eo maior augebitur calor, & humores, qui extra vaſa erant, cum bonis, qui intra venas exiſtunt, confunduntur, ſimplexque tertiana in continuam commutabitur. Quibus rationibus æger perſuaſus, ſi ſuæ ſaluti conſulere, ac proſpicere cupiat, & morbum æquius perferet, & febris principij, augumenti, ſtatus, temporibus quam celerrime decurſis, ſine aliquo eius detrimento, ſumma felicitate declinabit. In ipſo febris curriculo, æger os ſæpe colluat; quod ex febrilibus, fuliginoſisque vaporibus cum maxime exſiccetur, niſi aliquod, quod humectandi, refrigerandiq. vim habeat, æger vel in ore cõtineat, vel aqua aceto mixta abluat, ita lingua denigreſcit, vt quaſi exuri videatur: a potu tamen omnino abſtineat, donec omnes ſubſint condiciones, & leges, quas Gal. in lib. Met. ad aquæ potum requiri exiſtimauit. Morbo autem ad declinationem tendente, Aſsiſtens naturam ægri perpendat, an vſque ad abſolutam febris remiſsionem ſine aliquo alimento valeat perdurare. Nam, qui hac febre corripiuntur, cum maxime bilioſi ſint, ſi diutius famem patiantur, vel in animi deliquium incident, vel calor ille febrilis, cum mordax, acrisque ſit, nullam vel in ventriculo, vel in inteſtinis reperiat humiditatem, & continuo vt ignis conſumat, innatam humiditatem in ſolidis partibus exiſtentem depaſcit, & tertiana in ethicam tranſmigrabit. Ideo, cum hæc febris ex Gal. duodecim horas non pertranſeat, cum ad octauam deuentum erit, & inclinationis ſigna demonſtrentur, vt, ſi caput, pectuſque perfrigerari, ſi calor ad pedes deſcendere, ſi, rorida quædam humiditas circa pectus exoriri incipiat, lotio, ſi fieri poteſt, prius emiſſo, iuſculum, in quo intubum acetoſa fuerint decocta, actu frigidum poterit exhiberi. ſumpto iuſculo, additis tegumentis cooperiatur, & ſomnum capiat: eo ſoluto, & multo ſudore perfuſus, omnique ſebre vacuus æger inuenietur. ſudore deterſo, cibus exhibeatur. is ſit vel panis infuſus, aut tritus in iure pullæ, pulla vero cum prunis, cucurbita, vua acerba, coquatur: potet aquam: in die vero quietis, ſi multa extrementa in corpore redundare Medici comperient, nec per clyſterem e-

duci poſſe exiſtiment, boli ex caſia, diapruno lenitiuo dentur, vel ſyr. roſ. ſolutiuum cum aquis cordialibus ſorbendum exhibeatur. ab aſſumpto lenienti medicamento, ſi per bolos, poſt horam; ſi per ſorbitionem, poſt tres cibus propinetur, ex pane intrito in iure pulli. ſi æger cibum in die bis aſſumere ſit aſſuetus, in die tranquillo bis exhibeatur; acceſsione vero ſuperueniente cibus omnis reſecetur. neque vero eo die, quo leniens medicamentum ſumpſit, dormiat: pranſus, cena ſit tenuior, ne cibi ingeſti copia medicamenti facultas à ſuo opere impediatur. lenito corpore, ad bilem ipſam contemperandam, ſyrupum de cicorea, de ſucco acetoſæ, endiuiæ, portulacæ, oxyzacchara, de acredine citri, de limonibus, cum aquis, vel decoctis cicorij, acetoſæ, intibi, cicerbitæ, portulacæ, plantaginis ſummo mane frigida propinentur. &, quoniam, quo magis augetur morbus, eo plura, maioraque inſurgunt accidentia, pro ſymptomatis natura, ijs Aſsiſtens opportunis remedijs occurrat. Secunda abſoluta acceſsione, ſi æger multis ſcateat humoribus, & febris magis augeatur, & vehemens ſit, vereamurque, ne vel in continuam tranſitum faciat, vel bilis cum ſanguine admixta in partem principẽ rapiatur, etiam ſi Gal. ad Glauc. cap. de tertiana pura nullam ſanguinis mentionẽ fecerit, mittẽdus tamen ex baſilica ſanguis eſt, in minori tamen copia, quam ſi alia febre æger laboraret: ex plurimi enim ſanguinis euacuatione bilis magis efferueſcit. ſed, antequam ad hoc præſidium deueniamus, tempus anni, regio, ægrotantis ætas, vires, morbus ipſe, accidentia optime cognoſcantur. Vena ab experto, exercitatoque viro, iuuene, quique oculis bene perſpiciat, & manuum dexteritate, & celeritate plurimum valeat, ſecetur. ſectionis vero vulnus in tertiana exiguum ſit, vt tenuior, ſubtiliorque ſanguis euacuetur, craſsior retineatur: nulla enim alia eſt in tertiana pura Medicorum cura, quam bilem ipſam incraſſare. ſanguis pluribus coctilis excipiatur, vt ſingulæ quæque eius partes per ſe cognoſcantur. optime venæ oſculo clauſo, & brachio commode collocato, neque dormiat æger, neque moueatur per horam; quieſcat; à ſomno tamen abſtineat; demum cibo conueniẽti enutriatur: prius enim ptiſanam ſorbeat, quæ ex Hip. inſtituto, antequam copia fuerit euacuata, exhiberi non debet; poſtea panem album in ſubtiles partes diuidito; in aquam endiuiæ infundito; acidumque ſuccum arancij, ſeu limonis deſuper exprimito; zacchari parum addito, vt dulcedo, & acetoſitas guſtu percipiatur. hoc pane die quietiori æger, & in ipſius febris inclinatione, vti poterit, ex quo non ſolum ægro opportunum alimentum ſuppeditabitur, ſed corpus per-

fri-

frigerabitur, bilioſique humoris vis obtundetur. Hunc autem cibum ante ventris lenitionem, venæque ſectionem minime exhibebimus. Si æger multo alimento ſit aſſuetus,neq. hoc victu perdurare eum poſſe intelligamus, die quietiori non nihil pullæ carnis in ſucco arancij, aut limonis infuſæ exhibebimus. Inueterata eſt multorum conſuetudo, vt, poſtrema menſa, ceteris cibis aſſumptis, vel pyra, vel mala citonia incocta ægris comedenda exhibeantur. hæc, etiamſi cibũ in ventriculo conſtringere,&,ne uapores ad caput aſcendãt,prohibere dicrãur,ex Gal. tamẽ de alimentorũ facultatibus mali ſucci ſunt;& oĩa poma,& herbæ,quę in cibis a ſ ſumuntur,facile in bilem conuertuntur. Ideo vel conſultius eſſet iis omnino abſtinere, vel in exigua copia vſui, conſuetudiniq. condonare. In reliquo morbi decurſu, ſi aluus quotidie ſponte non fluat, molli clyſtere, etiam in die acceſsionis,multo ante ipſius ingreſſum leniatur. quæ enim nocent ſanis,maiora ægris afferunt incommoda. Nam, ſi alui excrementa quotidie non euacuentur, antequam alter cibus aſſumatur, acidi ructus, dolor capitis, totum denique corpus ingraueſcit,dum æger febrili calore exuritur. in cubiculo fontes arte parentur, aqua cum aceto vndique inſpergatur, pauimenta floribus, frondibuſq. infrigidantibus niteant, parietes viridibus ramis, ſuauibuſq. floribus ornentur, ita, vt ægro prope frigidiſsimum fontem in amœniſsimo nemore,ſuauiſsimoq. auium concentu, ſibi eſſe videatur. Præterea Aſsiſtens omnia remoueat, quæ cubiculum calefacere, ægroq. moleſtiam afferre intelliget. Abſolutis omnibus acceſsionibus, ſi uel copioſo ſudore, vel bilioſorum humorũ euacuatione febris finiatur, nec æger poſtmodum ſitiat, nec quaſi pondus in corpore ſentiat, bene appetat, vires quotidie magis inſtaurentur, omnia ipſi naturæ committantur; ſin autem nec copioſus fuerit ſudor, & aluus potius ſit adſtricta, & adhuc vel lingua ſæpe exſiccetur, uel amarorem percipiat, aliqua egebit euacuatione. Inſtituet itaq. Aſsiſtens rhabarbarum infusũ in aqua endiuæ ad ſcrop.iiij.electu.lenit. drag.vj.ſyrup.roſa. ſolut.vnc.ij.decoctionis cor.quantum ſatis ſit:hæc vero potio ſoluto ſomno quattuor horis ante cibum propinabitur.

Si vero ſpuria,nothaq. ſit febris tertiana,quæ ex debiliori rigore, longiori duratione, aliiſq. tertianæ,& quotidianæ ſignis ſimul commixtis cognoſcitur, non ſolũ in initio per leue medicamentũ purgationẽ, & venæ ſectionẽ in æſtate ex baſilica dextri lateris; in autũno,ex Auic.ex ſiniſtro expoſtulabit;ſed etiã in principio,vt poſsit vſq. ad ſtatũ perdurare,victu pleniori vtemur.tranſactis autem primis quinq. acceſsionibus,cũ infrigidantibus illis, quæ ad bilis cali-

ditatem

ditatem contemperandam in cibis, ſyrapiiſq. inſtituimus, ea, quæ aperiunt, incidũtque, immiſcebimus, quibus & ſudor facilius prolicietur, & vrina prouocabitur. Vomitus in hac febre cibo aſſumpto conuenientior erit, ebibita prius raphani decoctione, acetoſo ſimplici immixta, ſi ſua ſponte æger non euomat. In hac autem febre, ſi, præterito decimoſeptimo die, nullam natura in diebus criticis tentauerit euacuationem, nos per epicraſim euacuationem moliemur. poſtremo, inſtituto conuenienti victu, ex tam aſsidua, diligentique Aſsiſtentis cura, æger ſanitatem; Aſsiſtens vero vtilitatem, & gloriam reportabit.

De Aſsiſtentis Officio in febre quotidiana. Cap. VIII.

QVotidiana febris eos potiſsimum inuadit, qui multa ſuapte natura ſcatent humiditate, vt pueri, mulieres, ſenes, & qui in otio vitam traducunt ſuam, & multis poſt cibum vſi ſunt balneis, & denique in humidis degunt regionibus; quæ cum ab humoribus craſsis, viſcidis, frigidiſque oriatur, in initio cum frigiditate quadam circa extrema inuadit, pulſus & inordinati, & inæquales ſunt; neque febre hac ægri exuri videntur, neque magnopere ſitiunt; immo, cum continuo à capite in reliquas corporis partes defluat humiditas, & ventriculus frigido humore repleatur, os his ſemper humectatur: vrina primis diebus alba, tenuis, aquoſa, & omni concoctione deſtituta. Aegro hac febre laboranti ſi in initio Aſsiſtens acceſſerit, & acidi ructus in ventriculo pondus, multaque ex ore aquoſa humiditas ſola ſpuitione proijciatur, nec aluus ſponte fluat, leui clyſtere emolliatur, &, exhibito per quinque dies calidiſsimo iuſculo, in quo parum cinnamomi, meliſſæ, liquiritiæ, calamenthi, aniſorum ebullierit, ſuperaddito, vel oxymelite, vel ſyrupo de duabus radicibus, poſtmodũ cũ diacatol. drag. vj. ſpecierum hieræ ſimpli. ℥ I. ſi ventriculus, vel ℥ I. agarici trociſc. ſi caput magis lædatur mellis roſ. ſol. vnc. iij. primi ductus expurgentur. Iterũ deinde vel ſyrup. de quinque radicibus, biſantinũ oxymel cõpoſitum, de cicorea compoſitũ, vbi præſertim aliqua obſtructionis ſuboritur ſuſpicio, cum decoctione mentæ, meliſſæ, abſynthij, hyſſopi, origani ſummo mane actu calida exhibeantur, dummodo nec pedes frigeant, nec tunc immineat acceſsio, hæc eadem diffuſo per totum calore tutius propinantur. his ebibitis potionibus, niſi aliquod obſtet, æger dormiat, regioque ventriculi deforis, vel ſacculo,

culo,cum aliquibus medicamentis actu, & poteſtate calidis,vel vola maus foueatur. peractis demum aliquibus diebus, & vrinæ craſſiori reddita,& morbo inclinante,iterum vel per pillulas aggregatiuas, vel ex hiera cum agarico ſummo mane exhibitas,ſuperbibito ſtatim iuſculo,in quo parum hyſſopi,calamenthi,paſſularum,origani,liquiritæ incoctum ſit,materia, quæ per ſuperioria ſyrapia cõcocta fuit,& maturata,educatur: At, ſi ex his præſidijs adminiſtratis, nihil, vel parum fuerit febris imminuta, ſed rubicundiores ſolũ euaſerint vrinæ,non nihil ſanguinis mittatur: etenim,cum humores, qui in corpore peccant, frigidi ſint,ex nimia ſanguinis extractione frigiditas augebitur, maximaque fiet uirium iactura. quo enim magis deprauati, & à natura alieni in corpore verſantur humores, eo minor eſt facienda ſanguinis miſsio: ſed, ſi in principio huius febris vrinæ rubeæ appareant, cum non ſuperuacaneam caliditatem,vt in febribus ardentibus,& biliosis,ſed obſtructas vias, & obcluſas eſſe demonſtrent, in omnibus autem febribus ab obſtructione ortum ducentibus Gal. 11. Met. ſanguinẽ mittere ſuadeat, lenito prius ventre in initio,pro virium robore, morbique magnitudine,in ipſa paroxyſmi inclinatione ſanguinem euacuabimus. Incipiente itaque ægro frigere,Aſsiſtens iubeat & feruefactos lateres pedibus,& calida tegumenta genibus,manibusque apponi;nec vmquam à calefaciendo deſiſtat,donec, frigiditate exſtincta, calor ad eas partes reuocetur:&,quoniam ſomnus in hac intenſior,quam in alijs febribus ſolet vrgere, ex vaporibus ſurſum eleuatis, cum caput maxime humectetur, & ſomnus ex Ariſt. lib. de ſomn. & vigil. humectato,refrigeratoque cerebro fiat;ideo mirum minime videri debet, ſi tanta in hac febre ſit ad ſomnum propenſio. vigiles tamen ab Aſsiſtente in initio præſertim acceſsionis contineantur. nam Gal.2.Aphor. dicebat,Cum in ſomno calor ad interiora recedat, ſi in initio acceſsionis ægri ſummo frigore correpti dormire diutius permittantur,calor interiora petens exteriora penitus deſtituet,friguſque illud nullo aduerſante longiori tempore partes illas occupabit. & hac ratione febris in longum protrahetur. diffuſo per totum corpus calore, tamdiu abſque cibo ægri contineantur, quouſque & calor ad pedes deſcenderit, & pulſus magis eleuati, & ordinati, proximeque ad naturalem accedant æquitatem: quæ ſigna febrem inclinare demonſtrant.neque in hac febre abſoluta,perfectaque morbi ſolutio expectanda eſt. nam, cum vel non intermittat, vel exiguum intercedat tempus inter præteritum, futurumq. febris acceſſum,tutior eſt inclinante febre cibi exhibitio, quam abſoluta priori acceſsione in alterius fere febris ingreſſu alimentum

propi-

propinare. dicebat enim Hip. 1. de rat. vict. frigentibus pedibus, manibusque ab omni potu, cibo, & ijs, quæ per os aſſumuntur, eſſe continendum; cum vero calor ad pedes deſcenderit, ſorbitiones tutius poſſe aſſumi. Quare ex Hip. minor eſt error, ægro æſtuanti, quam frigore correpto, exhibere alimentum. Verum ſumma inter Medicos in cibo hac febre laboranti dando oritur contentio. non nulli enim ex Arabum familia Medici in quotidiana febre vſque ad ſeptimum tenuiſsimo victu vtendum; poſtmodum, ſi febris eodem ſtatu perſeueret, augendum eſſe affirmant: nam ægrotantium, qui hac detinentur febre, ventriculus, & inteſtina, meſēterijque venę, cum magna crudorum copia humorum abundent, & mitior in hac, quā in tertiana ſit calor, ita, vt in initio vires nō inaniantur, natura ſuccos illos ſemicoctos nullo alio alimento ſuppeditato concoquet, & in ſanguinem conuertet, ſi ſubtilior cibus eo vſque præſcribatur, donec humiditates illæ huius febris cauſæ fuerint abſumptæ, viribus pro earum conſeruatione ab humoribus crudis conueniens alimētum ſubminiſtrabitur: atque vno eodemque præſidio, & vires modice debilitatas conſeruabimus, & morbi cauſam profligabimus. Alij vero, ad morbi longitudinem reſpicientes, cum in Aphor. 15. præcipiat Hip. ſtatum morbi ante omnia eſſe præcognoſcendum, vt debitam viuendi rationem ægris inſtituamus, & idem Gal. ſæpe ſuadeat, vt, quo propius ad morbi ſtatū accedimus, eo plus de cibo ſubtrahamus; (in eo enim, cum magna inter morbum, & naturam exoriatur contentio, tenuiſsimo victu vtendum eſt) in initio huius febris vberiorem cibum exhibendum eſſe demonſtrant. dicebat Gal. 1. Aphor. com. 10. In morbis acutis virtutem modice debilitatam conſeruare, in longis debito alimento augere debemus, vt valeat vſque ad ſtatum perdurare, At quotidiana febris, cum diutius perduret, & fere continuo ægrum affligat, non poſſunt non niſi grauia incommoda ægris importari, ſi ex ſuperiorum auctorum opinione in victus ratione regantur. rationes vero illorum, & experiētiæ rerum magiſtræ, & debitæ medendi methodo, repugnant. nam ſucci illi, crudi, & pituitoſi, quos huius febris cauſam eſſe diximus, cum putridi, & naturæ rebelles ſint, minime repetita concoctione in propriam ſubſtantiam conuertentur. ſi quando autem Gal. & Hip. pituitam, humoreſque crudos in ventriculo, & in ambitu totius contentos ideo à natura eſſe comparatos, vt, deficiente alimēto, eos natura perfectius concoqueret, & in ꝓpriam ſubſtantiam conuerteret, confirmarint; id de pituita naturali, non de putrida, intelligendum eſſe voluerunt. materia vero illa putrida, quæ in his partibus reſidet, iuſculis illis medicatis cum oxymelite incidenda,

& ma-

& maturanda, & denique idoneo medicamento erit euacuanda. tendente itaque febre ad declinationem, ægro cibus exhibeatur; ſi vero diutius perduret acceſsio, & in eodem fere ſtatu conſiſtere videatur, deſcenſo ad pedes calore, ſi de viribus vereamur, iuſculum pullæ ſorbendum detur: hoc enim non ſolum cum putridis humoribus, qui vt plurimum in huiuſmodi febre ad os ventriculi confluere ſolent, commiſcebitur, ſed, alimentum ſuppeditando ægrotanti vires addet. cibus vero, quem æger in declinatione aſſumet, ſit ptiſana hordeacea, in qua non nihil piperis, cinnamomi, hyſſopi incoctum fuerit, panis in iure pulli infuſus, aut decoctus, aquam potet, in qua cinnamomum ebullierit, vel, ſi febris non admodum vehemens ſit, mulſam, vel in aqua ab ebullitione extracta zaccharum ſit diſſolutum; & huiuſmodi victus eo magis conueniet, quo plures in pectus à capite demandantur humores. hoc victu vſque ad ſeptimum vtatur. poſtmodum ad cibum, caro; & ad iuſculum ſorbendum, vitellum oui; & ad aquam, vinum addi poteſt. quo magis vero ad morbi ſtatum accedimus, eo de cibo ſubtrahere, & medicamenta, quæ aperiant, magis incidant, & concoquant, propinabimus: etenim, cum hæc febris per criſim raro ſoluatur, Gal. enim acut. 4. dicebat, febres, quæ à pituita ortum ducunt, potius per abſceſſus, quam per excretionem, terminantur, euacuatione per epicraſim perſanabitur. Hæc victus, & medicamentorum ratio, & materiam ipſam æquabit, & humores per vrinæ vias amandabit. Vomere autem in hac febre poſt cibum aſſumptum, omnes fere auctores conſuluerunt. viſcida enim pituita facilius cum cibis admixta euacuabitur. Ideo Aſsiſtens, cum vomitum conuenire intelliget, & copioſiores, & diuerſarum facultatum, & varie conditos cibos exhibeat. ex copia enim, & ciborum varietate, facilius ægri euoment. quod ſi id ſua ſponte fieri non poſsit, poſt cibum decoctum raphani cum oxymelite in magna copia propinetur, & capite inclinato penna oleo intincta in os immiſſa vomitum prouocetur, à quo per horam quieſcat; deinde, ne futura acceſsio ventriculum omni alimento vacuum, & inanem inueniat, nec vires ita longum ieiunium ſint ferendo, iterum aliqua re leui, & facilis concoctionis enutriatur; quotidie, ſi nõ ſponte, infuſo tamen per clyſterem, alui excrementa deponat, ſemel aut iterum per medicamentum materia diminuta, foueatur ventriculus ante cibum ex abſynthio, menta, & leniatur oleo maſtichino, nardino, ſæpe ſumat trociſcos de abſynthio, de rhabarbaro. Oler. lib. 2. cap. de quotid. ad extremorum refrigerationem in initio paroſiſmi inhibendam, per horam ante ipſius febris ingreſſum

vnc.i. teriacæ,aut mitridati cum vino tenui exhibendã eſſe ſuadet. Idem Olerius à multis iuſculis, vel quia concoctionem non iuuent, vel caput repleant, vel ſtomacho aduerſaria ſint, in hac febre conſuluit eſſe abſtinendum. Verum iuſcula ea ratione à nobis parata, ſemper huic febri præſto fuere.

De Aſsiſtentis Officio in febre Quartana. Cap. IX.

ETſi in quartana, cum difficilis curatu videatur, Aſsiſtentes conduci minime ſolent; ne quid tamen à nobis, quod ad Aſsiſtentes, & ægrotantium miniſtros ſpectaret, intactum relinquatur, eos omnes,quicumque ſint,quartanarijs Aſsiſtentes,& ſubminiſtrãtes,qua cura vtantur,& diligentia,edocere conabimur.Febris hæc vel primo,ingreſſu ex ſe ipſa ęgros afficit,vel alios ſubſequitur morbos;ęos vero corripit, in quibus vel lien in tumorem attollitur, vel plurimi atri ſucci abundant,tempore autumni, ætate conſiſtentiæ, temperie frigida, & ſicca. dicitur autem Quartana, quod quarto quoque die ægros aggrediatur, in initio omnia leuiora exiguo frigore corripiuntur,in dies magis rigor augetur,ita,vt oſſa confringi videantur;qui antequam remittatur,inclinatio minime ſperanda eſt,teſte Gal.6.Epid.com.1.t.8.idem Gal.1.ad Glauc.cap.6. ex pulſibus,qui in initio rari, & parui, in augmento, & ſtatu veloces, frequentesque ſint ex anni conſtitutionibus. dicebat enim Hip. cũ eadem die modo calor, modo frigus, morbos autumnales expecta: ex loci natura, ætate, ſtudio quartanæ cognitionem peti dicebat. cum hac febre idem Gal.eadem ad Glauc.cap.11.initio moderate, & leuiter agendum eſſe præcipit,neque fortia medicamenta,ſiue alterantia,ſiue electiue ducentia, in initio conducere videntur; ſanguis vero,ſi is,qui quartana febre nobis curandus proponitur,plurimo abundet,vel lien,aut epar intumuerit, tuto mitti poteſt, aut ex interna, aut media, aut ſaluatella ſiniſtri lateris. Aſsiſtentis autem munus erit,vt vulnere latiori vena ſecetur, quo ſanguis craſſus,terreus, limoſus, facilius euacuetur. dumque ſanguis fluit,ſæpe à venæ ſectore digitus oſculo admoueatur, vt ſubtilior ſanguis firmetur, neque magna fiet ſpirituum euacuatio; & denique, vt tempus interſit, quo ſanguis, qui ſuo lentore, & craſsitie ſerius mouetur, ad ſectionis oſculum confluat, & euacuetur. At, ſi, ſecta vena, ſanguis floridus, tenuiſque ſit, ſtatim cohibeatur. hæc, & aliæ euacuationes ſemper in die quietiore, proximoque futuræ acceſsioni ſient, cumque hæc febris per viginti quattuor, & plures horas perduret,

chiret, & ægri ſummó frigore concutiantur, ſolutaq. acceſsione, quaſi ſemimortui videantur; eo igitur die, & quiete, & conuenienti alimento, inſtaurentur; die autem, qui ſubſequitur, vel medicamentum, vel venæ ſectio adminiſtrabitur; imminente vero paroſiſmo, molli lecto æger reponatur; calidis tegumentis contegatur, & ex calefacti lateres odorato vino perfuſi, linteolisque conuoluti plantis pedum, manuumque volis admoueantur; nihilque prætermittatur, quouſque frigus penitus arceatur. ſuccenſo calore, lateres amoueantur, tegumenta imminuantur, ne quartana in continuam tranſmutetur; neque dormiat; &, ſi vomendi vrgeat neceſsitas in principio paroſiſmi; dum materia ad os ventriculi cõmouetur, propinato prius raphani decocto cum oxymellite, & ijs omnibus, quæ capite de tertiana prædixi, præſtitis, euomat; ſi in initio morbi materia in primis vijs contenta educi per vomitum non poſsit, leui medicamento, vt caſia, diaſena, lenitiuo, vel melle roſato ſolut. & ſyrupo de polypodio cum decocto foliorum ſenæ per infernam aluum euacuetur; poſt hanc vero excrementorum eductionem per multos dies ægri quietem agant, & cibis potius, qui ventrem emolliant, quam vel leuiſsimo medicamento, vel clyſtere, agitentur; ſed, ſi neque cibis aluus fluat, Aſſiſtens clyſtere vtatur. In concoquendo, maturandoque huiuſmodi humore numquam ab ijs, quæ facile aperiunt, incidunt, & attenuant, diſcedat. Decurſis pluribus acceſsionibus, etiam ſi omnes fere velint neque medicamentis, neque alia re humores quartanam procreantes eſſe agitandos, apparente tamen aliqua in vrinis concoctione; equidem ad humorem illum terreum, & atrum expurgandum octauo quoque die decoctum vnciæ vnius foliorum ſenæ, vel vnc. iſ. pulueris eiuſdem ſenæ cum aqua boraginis, aut vino tenui, ægro propinarem. vt enim apud veteres decoctum epitimi ex vſu maxime erat, quod etiam in præſenti laudatur, ita nunc experimento compertum eſt, ſenæ folia hac ratione adminiſtrata in quartana, & in omnibus affectibus ab atrabile ortum ducentibus ſummopere conuenire. diebus quietis ægri ſe ſolito exerceant, ſuisque fungantur muneribus; caueant tamen ab alimentis, tum animi curis, quæ atrum humorem valent augere. Morbo iam inclinato, quod ex leuiori frigore, calore, breuique duratione, & vrinæ concoctione, cognoſcitur, per vnam, aut alteram horam ante acceſsionem, bene prius expurgato corpore, drac. i. theriacæ, aut mitridati dari poterit, quæ, & ad frigus imminuendum, & ad viſcera corroboranda, & ad vias aperiendas plurimum poterit. at in initio morbi, theriaca, aut mitridatum exhibitum

ex vna tres ſæpe quartanas procreauit; Cibus vero, quem die quietis ægris offerimus, fit ex carnibus pullorum, faſianorum, vitulæ, pipionum; ſalaticia ex capparibus, cicorio; vinum ſit album, tenue, aqua ſcoloprendrij dilutum; &, quia morbus hic ad menſes, & ad annos nonnumquam protrahitur, plenior victus ægris inſtituatur; dum vero febre corripiuntur, quoad fieri poteſt, ab omni cibo, potuque contineantur; &, ſi quid ob virium imbecillitatem exhibendum ſit, perfecta febris inclinatio expectetur. Verum, quoniam plurimi ex porcellorum carnibus aſſumptis, vel uuis, & ficubus rore perfuſis in magna copia ingurgitatis, vel plurimo vino ebibito, vel alicuius rei gaudio, febre quartana ſoluti ſunt; etiam ſi Medicus, & Aſsiſtens hæc temere adminiſtrare minime debeat, rationes tamen, quare id ſæpe contingat, ægrotis reddat. etenim, cum humor, qui febrem procreat quartanam, ſi caput petat, ſpirituique intellectioni inſeruienti commiſceatur, inſaniam progignat, minime mirum videri debet, ſi varia, &, vt ita dicam, inſana ſit eius curatio; tum vero, cum quartana oriatur ex varijs cauſis, non mirum eſt, ſi diuerſa ſit eius ſanatio; propterea parum deteriorem cibum, & potum, ſi is delectabilis ſit, facile natura amplectetur, & in propriam ſubſtantiam conuertet, ita, vt eius ſuauitate, & oblectatione ægri capti, cum febris eſt acceſſura, alio diſtrahatur; id vero non ſolum in quartana, ſed etiam in quotidiana, & tertiana vſu euenire ſolet. Superioribus enim annis in duplicem incidi tertianam, quæ, pluribus peractis remedijs, ſuperari, aut euinci non poterat. ſemper enim eadem hora reuertebatur. Marius de Canallerijs, nobilis Romanus, & mei amantiſsimus, ad me venit, multoque mecum de pluribus habito ſermone, Qua hora, inquit, febris eſt acceſſura? Hinc ad horam, inquam. ille ſubridens, Claudamus, inquit, ianuas, vt eius ingreſſus intercludatur. quibus clauſis, is, quippe eloquentiſsimus, & multarum rerum peritiſsimus, eum ſermonem inſtituit, quo ſumma oblectatione capiebar, & à varijs, quibus premebar, cogitationibus reuocabar; atque, ratiocinando, ita eum diem traduximus, vt acceſsionis hora præterierit, & febris poſtmodum numquam acceſſerit. Hæc ita à me ſcripta eſſe volui, vt ex his Aſsiſtens intelligat, in morbis longis, nihil potius eſſe, quam, multis præſtitis præſidijs, ſi morbus adhuc perſeueret, vel locum mutare, ſi per tempus, & alia licebit, vel ægrum à varijs, quibus premitur, curis, cantu, aut grato ſermone, ad animi oblectationem, & æquitatem traducere.

De Aſsi-

De Aſſiſtentis Officio in febribus continuis. Cap. X.

SI quando noſtri corporis inſenſibiles viæ,per quas natura fuliginoſa,& tenuia excrementa quotidie excernere conſueuerat,vel ſummo frigore, vel immodico calore, aut rerum adſtringentium vſu,aut humorum lentore, aut craſsitie, & copia ita obſtruantur, vt ea intra corpus retineantur,& calor, qui ab aere externo per illos meatus, & ſpiramenta attractus perflabatur, & libera inſpiratione, & reſpiratione perfrigerabatur, ſecluſis,ac obſtructis omnibus partibus, ſi concludatur, non ſolum in humoribus putredinem pariet, ſed, cum antea mitis, ac benignus, poſtmodum in igneam naturam conuertetur, ac ita per totũ diffundetur, vt & cor ipſum, & reliquos humores continuo inflammet, atque exurat, & hæc febris continua nominatur; in qua tria potiſsimum contemplanda occurrunt, prohibita tranſpiratio, natiui caloris in igneum tranſmutatio, & humorum putredo. In huius autem cognitionem facile quis deuenire poterit, ſi & continuo eam affligere, ſi nullo ſuperueniente frigore, aut horrore, aut rigore, ſi ex lingua, vrinis, pulſibus certam putredinem intra venas præmonſtrari intelligat. ex his autem ſunt aliquæ, quæ continuo augentur, diminuuntur aliæ;nõnullæ ſemper eodem ſtatu perſiſtunt;aliæ,cum nullam habeãt remiſsionem, tertio quoque die ingraueſcunt. de quibus dicebat Hipp.febres non intermittentes, quæ tertio quoque die grauiores fiunt, periculoſæ; quocumque autem modo intermiſerint,periculum abeſſe ſignificatur. ſunt etiam & febres tertianæ notæ, ex quibus altera alteri ſubintrans, continuam febrem conſtituit; omnes denique humores in venis interclusi, & putredinem nacti,continuas febres accendunt. Inflammationes præterea, principes partes occupantes, cum continuis febribus coniunguntur, & hæ ſunt, quæ miſeros ægros in vitæ periculum adducunt. Ideo Aſsiſtens, ſi in aliquo morbo eſt ei omni contentione, totisq. viribus elaborandum, in febribus profecto continuis ſummum ſtudium,atque curã collocabit. Quare, cum raro febres hæ vigeſimum primum, niſi per decidentiam,pertranſeant diem, &, quo propius ad ſtatum acceſſerint, eo grauiora pariant accidentia, optime dicebat Hipp. In principio, ſi quid videtur mouendum,moue: nam, cum putridi ſucci non ſolum intra uenas contineantur, ſed etiam potiſsima eorum pars in ventriculo, & inteſtinis, & primis venis maxime redundet,

dundet, & hi, antequam cum ceteris commiſceantur, facile, vel leuiſsimo medicamento, educantur, præſertim ſi tenues ſint, & ſero ſi, adhibitis drac. x. caſsiæ, vel elect. lenit. cum pulpa tamarindodorum, aut, ſi materia pituitoſa cum bilioſa copuletur, cum drac. x. diacatoliconis, aut in forma ſorbitionis cum ſyrup. roſ. ſolut. vnc. iiij. ſeu ſyrup. roſ. ſolut. mannæ elect. an. vnc. ij. per infernam aluum euacuentur. Sed, ſi per vomitum huiuſmodi humores expurgari poſſe intelligat, & præceps ſit ſanguinis mittendi occaſio, lenita tantum prius aluo per clyſterem, venam ſecabit Aſsiſtens. Etenim & lib. de ſanguinis miſsione, & 12. Met. & primo ad Glauconem dicebat Gal. in febribus continuis nullum poſſe ſalubrius inueniri remedium, quam ſtatim ſanguinem mittere. Peractis itaque omnibus iis, quæ ad venam ſecandam opportuna eſſe videbuntur, vt faſciis, linteolis ad excipiendum ſanguinem, coctilis aqua, vino, & aceto ad ægrum, ſi contingeret, ab animi deliquio reuocandum, &, adhibitis brachio frictionibus, optime cum venæ ſectore tuto, cito, iucunde vena aperiatur; qua inciſa, tantum ſanguinis iubeat euacuari, quantum & morbi magnitudo requirere, & virium robur perferre videbitur: ſanguis pluribus vaſibus excipiatur, & æger, dum fluit, frigidam aquam potet: ex ea enim bilis, quæ ad os ventriculi ſæpe regurgitat, obtunditur. Dum ſanguis euacuatur, Aſsiſtens pulſus manibus contingat: ſi quando vero intercipi, vel debiliores, aut celeriores fieri animaduertat, a ſanguine mittendo deſiſtat, neque vmquam animi deliquium expectet; &, ſi ob ægri timorem, vel aliquem humorem ad os ventriculi confluentem, æger oculos obſcurari ſentiat, etiam ſi exigua ſit facta ſanguinis miſsio, claudatur vena, & in aliud tempus reiiciatur. exterſo ſanguine, & venæ oſculo perbelle occluſo, brachioq. obligato, æger conuenienti ſitu, ne ſupra brachium iaceat, in lecto collocetur, quieſcat, non tamen dormiat: tempus in ſanguine mittendo eligatur, quo æger melius ſe habere intelligat. Miſſo ſanguine, Aſsiſtens totus in debitam viuendi rationem, humorumq. maturationem, & morbi, ſymptomatumq. expulſionem incumbat: &, quoniam huiuſmodi febres æſtiuo, hibernoq. tempore iuuenes, ætateq. florentes, vt plurimum corripiunt, vel qui plurima alimentorum copia ad tantum bonitatis deuenerunt, vt nec habeant, quo progrediantur vlterius; & neceſſe ſit, vt decidant in deterius, niſi eorum habitus ſanguinis miſsione ſoluatur, vel qui, cum praui ſucci cibos aſſumpſerint, ſummam intra corpus putredinem conceperunt; vtrorumque cura maxima ab Aſsiſtente eſt habenda; illis, vt copia euacuata, & victu tenuiſsimo, & infrigidantibus ſorbitio-

nibus,

pibus, contracta caliditas extinguatur; hi, miſcendo ſæpe cum iuſculis medicatis nouam materiam cum putrida, & occluſas vias, vt totum corpus tranſpirabile reddatur, aperiendo, & elixi pharmacis, & bezoarticis antidotis exhibendis, quæ putredinis vitium, prauitatemq. retundant, ad humorum æquitatem, & optimam temperiem reuocentur. Præſtitis igitur communibus euacuationibus, Aſsiſtens morbi naturam, ægriq. vires contempletur: ſi morbum in ſeptimo terminari poſſe ſperet, ſorbitionibus ſolum, iuſculisque cum endiuia, acetoſa, portulaca medicatis, & ptiſana hordeacea contineatur; & ſi in media æſtate æger ſummo febrili æſtuet incendio, ſorbitiones actu frigidæ exhibeantur, ita præcipit Galenus lib. de bonis, & malis ſuccis; At, ſi decimam quartam febrem coniiciat fore tranſgreſſuram; & æger ex ipſa corporis conſtitutione bilioſus ex Gale. 10. Met. cap. quinto, vel ſorbitiones ſæpe repetantur, vel aliquid iis addatur, vt poſsint vſque ad ſtatum cum huiuſmodi victu perdurare, & quo morbus propius ad ſtatum accedit; eo tenuior ſit viuendi ratio. Perſpecto itaque tempore, quo æger leuior eſſe ſolet, exhibeat Aſsiſtens ptiſanam hordeaceam, & panem infuſum in iure pullæ, remiſsis poſtmodum accidentibus, & ſorbitionibus prædictis, & pane optimo in aqua endiuiæ macerato, & ſucco limonis, vel arancij cum zaccharo addito enutriatur: hæc enim non ſolum conueniens alimentum ſuppeditabunt, ſed etiam ſua vi, & natura morbum oppugnabunt. Si de viribus vereatur Aſſiſtens, vnum, vel alterum ouorum vitellum ad ſorbitiones addat; à carnium vero contuſo, niſi vrgente neceſsitate, in his febribus ſemper abſtinerem; pro potu vtatur aqua hordei, vel aliqua, hac ratione parata.

Rec. aquæ endiuiæ, acetoſæ, hordei an. lib. med. ſyrup. de acredine cetri, vel acetoſi ſimplicis vnc. j ÷. vini granatorum vnc. ij. miſ. & clarificetur, & vtatur pro potu. Quæ autem ad cubiculi paratum, & reliqua exteriora pertinebunt, ne eadem ſæpe decantaſſe videar, omnia, quæ in capite de tertiana dicta ſunt, huc transferantur. Sed, quia perpetua oris ſiccitas in febre continua eſſe ſolet, vas magnum ex lucidiſsimo cryſtallo confectum ab Aſsiſtente paretur aqua plenum, in hoc æger ſæpe os infundat, immergatque, & abluat, ex quo non ſolum illa oris ſiccitas tolletur, ſed etiam cor ſummo flagrans incendio, aëre illo frigido, vna cum aqua hauſto, maxime recreabitur. A potu autem, antequam ſubſint conditiones ad id requiſitæ, abſtineat.

tineat. nam, ſi ſæpe, & parum bibat, inflammabitur magis; & fitiet æger; ſi multum potet, nec apparuerit in vrinis concoctio, extentaq. ſint ilia, & inflammata viſcera, nec ſit aſſuetus frigidæ, vna cum calore æger ſuffocabitur. Quare, cum vnum ex potiſsimis præſidiis in febribus continuis, quod à Medicis proponitur, ſit frigidæ potus, ſi vrina concocta, ſi mollia ilia, ſi nullus adſit in viſceribus tumor, & ſummopere æger ſitiat, in amplo ex cryſtallo vaſe, aquæ, quantum vno ſpiritu haurire poterit, ebibat; qua aſſumpta, ei Aſsiſtens quietem indicat. Nam ex ea vel copioſior ſudor emanabit, vel vomitus ciebitur, vel aluus ſoluetur: ex quibus vtilis fiet humorum corruptorum euacuatio. Bezoartica in his febribus ſemper ieiuno ventriculo quattuor oris ante cibum exhibeantur. ſed, ſi quid ad ſomnum inducendum dare velimus, id poſt cibum aſſumptum hora ſomni offeratur. Aluus ſi ſua non ſponte fluat, quotidie molli clyſtere leniatur. Amicorum acceſſu, dum æger ſumme æſtuat, capite dolet, maxime ſitit, vndique iactatur, penitus interdicendum: vnus, aut alter, quibus æger ſua fidat, nec ex eorum præſentia, dum lecto iactatur, corpusq. enudatur, verecundia, aut pudore afficiatur, ei continuò aſsiſtant. Verum, cum in huiuſmodi febribus exanthemata in toto corpore effloreſcant; cuiuſcumque naturæ ea ſint, ſemper ad cutim euocari debent, & cucurbitulis toti dorſo, natibus, pulpis crurium ſine inciſione affixis, & frictionibus, & iis, quæ intus aſſumuntur, frigida, Bezoarticaq. facultate inſignitis. æger à nimia corporis iactatione, corporisq. enudatione, & omni externo frigore prohibeatur. Nam, ſi, ſtatim atq. effloruerint, euaneſcant, vel intro recedant, in ſummum vitæ periculum ægroti adducentur.

De Aſsiſtentis Officio in febrium accidentibus. Cap. XI.

ACuta, & continua febre correptis multa ſupetueniunt ſymptomata, vt animi deliquium, dolor capitis, vigiliæ immoderatæ, ſumma ad ſomnum propenſio, ſitis inexhauſta, fluor ſanguinis è naribus, vehementes vomitus, dyſenteria, lienteria, variiq. inteſtinorum fluores: quæ ita morbum augent, vt maios ex his ægris, quam ex febre, periculum immineat. Aſsiſtentis ideo partes erunt, in id, quod vehementius, difficiliusve eſſe videatur,

tur,

tur, alterius cura minime poſthabita, incumbere. In animi autem deliquium ex Gal. primo ad Glauc. c. 14. ſolent incidere ij, qui vel morbo, quæ Cholera nuncupatur, tenentur, vel profluuiis ventris, & muliebri, hæmorrhoidarumq. fluxu, & denique immoderatis quibuſcumque euacuationibus, & purgationibus. Sæpe etiam languorem, & animi deliquium aliqua animi perturbatio inducit: nonnumquam ita humores crudi, acresq. in ipſo ventriculo, & inteſtinis coaceruantur, vt ipſum os ventriculi petẽtes animi pariãt defectum. Cognita cauſſa ab Aſsiſtẽte, quæ animi deliquiũ procreauerit, huic grauiſsimo ſymptomati ſtatim ſuccurrat, ſi quando in animi deliquium inciderit, ex bilioſorum, & acriũ humorum ad os ventriculi confluxu, nullam aliam iis, quam ipſius Gal. 12. Met. c. 4. curam inſtituerem, inquit enim: Quibus ex flaua bile, quæ os vẽtriculi infeſtet, ſyncope incidit, iis frigida potio exhibenda eſt. Vinum tamen, quod calidum natura ſit, & deductionem in corpus promoueat, omnibus, quos ſyncope male habet, offerre conueniet: diſtribui namque per corpus nutrimentum, quod ſumptum eſt, non in ventrem remanere volumus: ex vinis autem eligenda erunt, quæ flauo ſint colore, ſubſtantia tenui, & ætate vetuſta, & boni odoris; deinde ſubdit Gale. Hæc omnia vina ſtomacho, qui amara vexatur bile, ſalubria ſunt: ideo illis vtendum, quoties is, vel ardente febre offenſus ſyncope attulerit, vel alias multa in eum bilis effluxerit, vel multa biberit. Quibus vero ex crudis humoribus ſyncopis periculum imminet, calidiora vina conducunt, ex ipſius Gal. ſententia, quippe quæ velocius per corpus digerantur, & crudis ſuccis concoquendis auxilio ſint: ea autem vina ſint aliquantulum adſtringentia. ſed ex Gal. conſideranda eſt ægri natura. Si enim imbecillo ſit capite, quod facile calentibus vinis impleatur, quæ minus calent, & caput tentent, offerantur. hac ratione quamplurimi curati, præter aliorum Medicorum opinionem, qui in febribus in vino exhibendo nimis religioſi exſtiterunt, fuerunt ſanitati reſtituti: ſed, ſi multa prius fuerint eſca repleti, cum huiuſmodi materia per ſe grauior, potius ad inferiora, quam ad ſuperiora feratur, vomitu certe educi non poterit; &, qui in hac re vomitum ciere velit, ob immenſum conatum, aut venam aliquam diſrumpet, aut ventriculum nimis extendens, debilitabit; conſultius erit, & vtilius, tunc iuſculum aliquod, quo id, quod ſolidum eſt, liquetur, concoquaturque, ſorbere, quam iis periculis, niſi ſumma ſit ad vomitum facilitas, & propenſio, ſe exponere. At, ſi ex animi perturbationibus quis exſoluatur, & is triſtari, pallere, ſuſpiria edere, nihil dormire, aut appetere videatur, ex ipſo ægro cauſſa cognoſcatur,

M propterea

propterea de variis rebus Aſsiſtens inſtituat ſermonem,ſi ægri vul
tum immutari intelligat, ſtatim ad pulſus recurrat, & eundem ſer
monem ſæpe retexens, ſi de re, quæ eius animum excruciat,ſermo
habeatur, pulſus ſine ordine, æquitate,rhythmo aliquo,mouebun-
tur: inuenta autem cauſſa, ea idoneis, contrariisq. præſidiis, quo
ad fieri poteſt, ſubmoueatur. ſed, ſi id in Aſsiſtentis poteſtate non
ſit,ſed pendeat aliũde,vt,ſi quis vna cũ febre mærore afficiatur, ex
alicuius dignitatis priuatione, cum noſtrum non ſit eum in inte-
grum reſtituere,ſpecimen aliquod Aſsiſtens effingat, & inueſtiget,
quo æger ſe in priſtinum ſtatum reſtitutum facile credat. Sed, ſi
ex ſuperuacaneis euacuationibus, vt ex nimio ſanguine è naribus,
ex vomitu, ex alui fluore, aut ſudore animi deliquium contigerit;
Aſsiſtens ea,quæ ſuperius à nobis ſcripta fuerunt, recognoſcat, &,
pro ſymptomatum cauſſa, inſtituet medelam. De capitis dolore
etiam febricitantes ſæpe conqueruntur, cui antequam ſubueniat
Aſsiſtens, an dolor totum, vel partem occupet, numquid cum pon-
dere, & tenſione, & mordicatione, vel pulſu ſit, præuideat, &
præcognoſcat. Qui enim cum graui pondere fiunt dolores, ex
Galeno eodem primo ad Glauconem cap. 15. copiam ſignificant;
qui cum punctione, vel humoris; vel vaporis acredinem; cum
pulſu,inflammationem; cum tentione, ſpiritus copiam. Multitu-
do, euacuationibus, humorum vaporumque raptus ad caput re-
uulſionibus in contrariũ trahendo, vti clyſteribus, frictionibus,cu
curbitulis, hyrundinũ naribus,ſiue hæmorrhoidibus, applicatione
curabitur. Neque parti quidquam apponere auſit Aſsiſtens,niſi
prius communibus euacuationibus inſtitutis; in oxyrodinis vero
applicandis ea Aſsiſtens repetat, quæ proprio capite deſcripſi.
Somnus autem, & vigilia, dicebat Hip. ſecundo Aphor. ſi modum
excedant, malum. & in febribus præſertim continuis perpetuas
vigilias ſemper deliria ſubſequuntur. Quemadmodum enim na-
turalem ſomnũ fieri dicimus ex vaporibus benignis, vtilibusque,
ſublatis à ſanguine, & pituita dulci in cerebrum, & his deinde re-
frigeratis, & in humorem coactis, ſenſus, neruorumque meatus
obſtruuntur; ita, ſi craſsi, & frigidi humores ſenſum communem
obligent, fiet ſomnus non naturalis, caros nempe, & coma: Et
ideo Aſsiſtens, cum non ſolum in initio acceſsionum, ſed etiam
in toto morbi curriculo ægrum maxime ad ſomnum propendere
intelligat, eius bona ſuſpecta habeat, &, quibus poteſt remediis,
eum vigilem contineat: huiuſmodi autem ſunt; & frictiones, vel-
licationes, cucurbitulæ, naſipurgia, & poſtremo veſicatoria, cau
teria, & ſternutatoria, factis tamen communibus euacuationibus.

Vigiliæ etiam perpetuæ, cum ſemper aliquid mali importent, omni conatu, & contentione remoueantur. Nam ſiccitatem cerebri, materiæ ſomniferæ inopiam, morbificæ cauſſæ acrimoniam, bilisque ad cerebrum raptum arguunt, atque præmonſtrant; & ex his cerebrum exhauritur, corpus debilitatur, concoctiones impediuntur. Itaque Aſsiſtens, à leuioribus ſemper inchoando, iis vtatur, quæ moderate ſomnum conciliare valeant. primo æger obſcuro in loco collocetur, & ab omni ſermone, amicorumq. congreſsu remoueatur. iubeat eum oculos ſæpe claudere, poſt cenam ſumat vnc. j÷. ſyrup. viol. de niphea, aut ſyrup. de papauere vnc. j. aut vnc. j. diacod. ſine ſpeciebus, aut lactis ſeminis papaueris albi ad vnc. med. in forma vocatæ recoctæ. id autem fit papaueris ſeminibus in mortario contuſis, & aqua ſimplici commixtis, ac per lineum panniculum colatis poſt eo, quod expreſſum exiuit, in olla apud ignem poſito. ſurſum enim quiddam ceu nuncupata recocta emergit. ita docet Alex. Petro. in ſuo, De victu Romano. lib. quarto, cap. 10. A ceteris autem opiatis, quod ſtuporem inducant, omnino abſtinerem. Sitis vero exſtinguetur crebra oris ex aqua cum pauco aceto collutione, ex infuſo nodulo in expreſsione ſeminis, cucurbitæ, prius in aqua endiuiæ, vel lactucæ infuſi, vel in mucilagine pſilij, ex citruli fruſtibus in aqua frigidiſsima infuſis, deinde in ore retentis, & exiſtentibus condicionibus ſupra enarratis ex copioſo frigidiſsimæ aquæ potu. Reliquorum vero ſymptomatum, quæ febres concomitantur, curationem, quæ ad Aſsiſtentem ſpectet, in ſuperioribus capitibus copioſe deſcripſimus, & poſtmodum de iis diſputabimus.

De Aſsiſtentis Officio in Peſte.
Cap. XII.

SVperuacaneus fortaſſe, & inutilis videbitur labor, hic, de Aſsiſtentis officio in peſte pertractare. Nam, cum ea in aliqua regione viget conſtitutio, non ſolum Aſsiſtentes, ſed nec Medicos erit facile inuenire. ex contactu enim, cum, vt plurimum, hæc fiat affectio, Medici ſunt primi, qui, lucro dediti, mortem ſibi inquirunt, &, ſi qui ſunt, quorum ſalus ſibi cara ſit, ab hominum cœtu ſemoti, vel in apertiſsimos campos, ſalubriorisq. condicionis regiones, aufugiunt, vel peſte correptos non ſolum non inuiſere, & cum iis agere, ſed opportuna remedia inſtituere, vix audent. Nos vero, & ſi in peſtis curatione Aſsiſtentem idoneum

reperire minime poſſumus miniſtros, quicumque ij fuerint, qui pe ſte affectis aſsiſtant, hoc capite informabimus. & primo, quo modo ſe ipſos ab hac labe tueri, ac defendere valeant; paucis pertractabo. quî enim aliis poterit opitulari, ſi is in eodem diſcrimine verſetur? igitur, qui peſtiferam luem effugere; & cum peſte correptis verſari voluerit, principio omnibus criminibus apud ſacerdotem religioſum expurgatis ſibi Deum, Diuosq. ſummis precibus mites, ac manſuetos reddant. &, ſi quid in corpore impurum, impolitumque ſit, perpoliant, atque expurgent, ſi pluribus redundent humoribus, quam primum pro virium robore iis corpus euacuent, atque extenuent. ſi quid vero intra corpus corrumpi, putredinemque concipere facile poteſt, id ſtatim expurgandum, & extra educendum, totusque corporis habitus exſiccandus. Verum, corpore exſiccato, & bene euacuato, cum etiam deprauatum peſtis virus nonnumquã ipſos ſpiritus inuadat continuo ea aſſumant, quæ letifero huic veneno obſiſtant, ſpiritusq. reficiant, recreentque. inter quæ principem locum obtinent theriaca, mitridatum, pillulæ de tribus ruffi, & plurimi in hac re ab auctoribus inſtituti pulueres, ſed à bolo ex nuce, ficu, foliis rutæ, paucoque ſalis parato num quam diſcedant, alimentis boni ſucci, pôtibus acribus, vtriſq. moderatis, & cum temperantia vtantur, ſi hiemali, hibernoq. tempore ignis ex lignis odoratis, vt cypariſſo, libano, lauro, rore marino, caſia paretur, ſe ſe ante cibum in aere puro, apertoq. cælo exerceant, pillulas præ manibus ſemper habeant, ſuaues efflantes odores, ſperent, lætentur, cum ita ſe peſtis miniſtri munierint, ac corroborauerint, ægris peſte affectis facile poterunt inſeruire, cum iis non valde immorentur, &, quo ad fieri poteſt, longius abſint, faciem ab iis auerſam teneant, ne inſpirando ſpiritus hauriãt ægrotantium, nec in vaſibus, in quibus ægri alimenta ſumunt, quidquam capiant, &, ſi cogantur, ea, quam optime diluant, & ab omni ſorde expurgent; ſed, ſi ægrum, & eius tegumenta, & lintea pertingere neceſſe ſit, illico manus aqua roſacea, & aceto abluantur, qua etiam ægri, ſi aliqua ſorde ſcateant, ſpongia in infuſa abſtergi poterunt, totum ægri cubiculum ſuauibus redundet odoribus, & lintea ipſa odoribus inſperſa, nitidiſsimaq. exſiſtant, ſi ea aliquando ſint, vel ægri ſudore madida, vel pure, aut aliqua re inquinata, manibus minime pertractentur, ſed adunco potius ferro, è lecto, domoq. extrahãtur, neq. in aliquo loco cõcludantur, ſed aperto aeri, vt perflẽtur, exponãtur, &, donec peſtifera lues penitus exſtincta fuerit, minime ad vſũ recipiãtur: ægro cibus exhi

beatur parũ,& ſæpe.nã,cũ ea peſtis ſit vis,vt maxime vires ipſas ꝓſternat,atq; debilitet,quę niſi conuenięti alimẽto inſtaurẽtur,homines quã citiſsime e medio tollit; ſin vero ad ipſas vires manutenendas plurimo alimẽto vti velimus,ad alimentorũ copiã calor putridus, ac venenatus accedens ſummam excitabit putredinem. Erit itaque exiguus exhibendus cibus, vt corpus exſiccetur; ſæpe vero dandus, ne vires detrimentum patiantur. Vtilis autem cibus erit ptiſana confecta cum iure pullæ, cui admixtus ſit ſuccus, vel granatorum, vel citri, limonis, mali arancij; panis vero infuſus in aqua endiuiæ, vel in iure pulli, in quo acetoſa, endiuia, vua acerba incocta fuerint, addito ſucco eiuſdem vuæ, citri limonis berberis, in genere alimentorum in peſtis conſtitutione omnibus alijs cibis erit anteponendus. ſi vero alimentum, quod facile, & multum, & ſine aliquo detrimento enutriat, parare velimus, pulla in iure his herbis medicato tamdiu ebulliat, quouſque iuris tres partes conſumptæ ſint, omniſque pullæ ſubſtantia in iure remanſerit: in hoc iure ſupra ſcriptus panis infuſus copioſum, & facile concoctu ægro alimentum ſuppeditabit; à carnibus vero peſte correpti, cum hæ facile putredinem acquirant, omnino abſtineant: potus ſit vinum granatorum, aqua cocta optime dilutum, ſeu aqua, cui ſuccus citri, aut limonis cum exiguo zaccharo ſit admixtus. Iulep, & alia dulcia in hac conſtitutione minime probantur: ſed, cum huiuſmodi morbi inducias non dent, & in quarto ad ſummum ægros interimant, celeres, frequenteſque ſint eorum miniſtri in remedijs opportunis applicandis, exhibendiſque. neque, an phlebotomia, & humorum purgatio in peſte conueniat, nec ne, in præſenti diſputabo: plures enim narrantur à ſcriptoribus peſtis conſtitutiones, in quibus omnes, qui medicamentum ſumpſerint, vel venæ ſectione euacuati fuerint, diem ſuum obierunt; in alijs, omnes, quibus vel vena ſecta, vel corpus purgatione euacuatum, alijsq; extenuantibus exſiccatum, mortem euaſerunt; ceteri omnes extincti ſunt. Ideo in hac re nihil certi decerni, aut ſtatui poteſt.

De Aſſiſtentis Officio in cura Morbi Gallici.

Cap. XIII.

MOrbus, quem alij Gallicum, alij Hiſpanicum, alij Neapolitanum, quem alij Venereum appellant, à Columbi militibus ex Indijs ad nos tranſportatus, vt refert Traianus, & alij, ita eſt diffuſus, & propagatus, vt nulla ſit regio, nulla vrbs, in qua plurimi

rimi huius morbi acerbiſsimis non excrucientur ſymptomatibus. prauam hanc facultatem, & virus per contagium in concubitu acquiri, cum experientia in dies conſtet, neminem arbitror dubitare. eius autem eſt naturæ, facultatisque venerea hæc lues, vt facile cum omnibus humoribus commiſceatur, & ita furtim, paullatimque ſerpit, vt; donec eos, qui in corpore prædominantur, humores penitus inuaſerit, & corrumpere, ac labefactare inceperit, numquam ſe palam proferat, in apertumque deſcendat: Ideo difficilior aliquando eius curatio videtur: quoniam, cum circa penem vlcuſcula, vel capillorum defluuia, aut bubones, aut in toto corpore puſtulæ effloreſcunt, & capitis, ſeu totius dolores excruciant, iam deprauata hæc vis altas egit in humoribus radices: propterea, ſi quis cum infecta muliere rem habuit; ſtatimque vel gomorrhea, vel continuo ſine aliqua manifeſta cauſa capitis dolore afficiatur, vel vlcuſcula circa priapi glandulam, quæ Taroli Italice nominantur, aut in inguinibus crudi bubones appareant, ſe morbo Gallico laborare intelligat; neque malum in longum protrahi patiatur: quo enim diutius in corpore ſine vllo remedio perſiſtit, eo curatu difficilior, maioraque in dies affert incommoda. Sed, Deo auſpice, atque auctore, vnde malũ, inde præſidia emanarunt; quæ ſi commode, ſtatimque adhibeantur, ita aduerſaria facultate venenum illud aggrediuntur, vt natura, hiſce munita, illud in humoribus latitans extra corpus expellat, & veſtigia ab eo in mẽbris impreſſa penitus deleat. Verum morbus hic præcipuam, aſsiduamque Aſsiſtentium, & miniſtrantium curam expoſtulat. error enim minimus ſiue in medicamenti adminiſtratione, ſiue in cibo, rebusque non naturalibus appellatis perpetratus totam penitus curationem deſtruit, atque euertit: Ideo, cum ligni guaiaci decoctum, omnes, qui de hac re ſcripſerunt, auctores maxime ad morbi Gallici curationem conducere velint; diligens Aſsiſtens, quid ante eius aſſumptionem in ægrum agendum ſit, quid in ipſius decocti apparatu, quid in ipſa adminiſtratione, multo ante præuideat. Neque ad hoc remedium quiſquam accedat, antequam, & humorum copia euacuatus, & prauis ſuccis, excrementisque fuerit optime expurgatus; eaſdemque leges Aſsiſtens ſeruet, quas de ſanguinis miſsione, & purgatione locis proprijs ſanciuimus, habita ſemper ætatis, temporis anni, corporis conſtitutionis, virium, affectuumque magnitudinis ratione. Duplex autem ligni decoctum ſolet comparari, alterum loco ſyrapij mane; & ſero, pro potu alterum adhibendum, primum aliquando ſolum; aliquando cum alijs medicamentis partem aliquam reſpicientibus commiſcetur.

Rec.

Rec. itaque ligni in minuta fruſtula inciſi vnc. vij. corticis ejuſdem vnc. i. ÷. infundãtur in duodecim lib. aquæ per horas vigintiquattuor in olla terrea vitro linita, bene operculo, oſculum vnum habente, clauſa; bulliat lento igne ad conſumptionem mediæ partis, coletur, &, quo ad fieri poteſt, clarificetur: de quo æger ſummo mane per quinque horas ante cibum primis diebus vnc. v. ſero deſcenſo prius alimento in aluum inferiorem vnc. iiij. actu calidas capiat; reliquiæ vero ligni, cum vigintiquattuor libris aquæ commiſceantur, bulliantque ad conſumptionem tertiæ partis; coletur decoctum, clarificetur, & vtatur æger pro potu. Si ſimplicia aliqua medicamenta cum guaiaco concoquere velimus, ea in ſacculo raro includimus, & in fine ebullitionis in primum decoctum injicimus, poſtmodum cum expreſsione extrahimus: ſi hibernum ſit tempus, huiuſmodi decocta per tres dies integra conſeruabuntur, ſi loco frigido conſeruentur. parato decocto, cum corporis meatus aperiri, deprauata illa vis vna cum humore, in quo eſt, per ſudorem expelli debeat, loco calido æger contineatur; &, ſi non erit natura calidus locus, in quo æger curatur, arte calefiat, cubiculique feneſtræ niſi ſemel in die, in meridie, ne aer intercluſus putrefiat, aperiãtur. Quod ſi is, qui per ligni decoctum curandus eſt, & natura calidior, & humor, in quo praua facultas radices infixit, tenuis, bilioſusque erit, contemperetur locus, ita, vt neque caliditate, neque frigiditate excedat; & primis diebus, ſi ſudorem elicere velimus, æger in lecto iaceat, præſertim ſi ſudor copioſus abundet. tranſactis viginti diebus, ſi ſudor imminui cœperit, poſt prandium e lecto ſurgat, neque cubiculo diſcedat, neque feneſtras aperiat, niſi vt prædixi: ſi autem ſponte ſudor non fluat, latere calefacto, odoratoq. vino perſperſo pedibus appoſito omnino ſudor prouocabitur. Cibus in lue venerea affectis tenuis, & exſiccãs conuenit, ita tamen, vt æger vſque ad perfectam curationem poſsit perdurare. quare primis diebus in prandio torridæ carnis vncias duas, panis biſcocti vncias tres, vuæ paſſulæ, ſeu amygdalarum toſtarum vnciam vnam exhibeto: cena tenuior ſit prandio: & à carne in ſero abſtineat: ſed, ſi vires tenuem hunc victum non ſint ferendo, tantum alimenti addatur, quantum ad vires modice debilitatas manutenendas ſufficere videatur: caro vero ſit pullæ, capionis, faſianorum, paruarum auiũ, quæ ſemper torrefacta aſſumatur. vino vtatur tenui, albo, ſecunda ligni decoctione diluto. Abſoluto ſudore, æger bene abſtergatur, lintea ſudore madida exſiccentur, alijsque candidiſsimis cubile ſternatur. alui excrementa ſemel in die ſi non ſponte, ſaltem clyſtere euacuentur. &, quoniam ex aſſumptione huius decocti tenues

tantum

tantum humores per ſudorem foras detruduntur, craſsi vero, & terrei intra corpus remanent; ideo optime à Medicis, qui de hac re ſcripſerunt, ſtatutum fuit, vt octauo quoque die pillulas pro huiuſmodi humoribus euacuandis accommodatas æger aſſumeret. atque eo die, quo hæc exhibentur, à ſyrupo mane, ſeróque abſtineat. Illud autem Aſsiſtens maxime animaduertat, ne, dum ſua diligenti cura ægrum ab huiuſmodi morbo vindicare ſtudet, in eundem incidat affectum. cum enim morbus hic contagioſus ſit, vultum, os, & nares à ſudoris alitu auertat; &, poſtquam ægrum calidis linteis abſterſerit, manus cum aceto, & aqua ſtatim diluat. Verum, cum ligni guaiaci decoctum non ſolum morbo Gallico correptis, ſed pluribus etiam diuturnis affectibus conducere videatur; idem erit Aſsiſtentis munus; &, cum in ipſius decocti aſſumptione deterius ægri ſe habere ſentiant, confirmandi ſunt ab Aſsiſtente; pluribusque rationibus demonſtrandum, illud eſſe potiſsimum ſanitatis recuperandæ ſignum. natura enim, ſibi hoc medicamento adiuncto, tota in morbo debellando occupatur, defatigaturque.

BARTHOLOMAEI VICARII MEDICI

De optimo ægrotantium Aſſiſtente, & eius officio in ſingulis morbis,

LIBER TERTIVS.

PROOEMIVM.

CVM primo illo æuo hominum genus innocẽs, omniqueſorde vacuum à Deo Opt. Max. procreatũ eſſet, primorum parentum culpa in tot, tantasq. ærumnas incidit, vt vix inter omnes animantes aliquis reperiatur, qui tot morbis homine magis ſubijciatur. Ceterorum animantium morbi, certo numero definiuntur, ita, vt equus hoc, leo alio afficiatur; ſolis hominibus, qui, & quot immineant affectus, vix auſim enumerare. Ad hoc etiam illud magis ærumnoſum accedit, ſibi ipſis fere ceteros animantes remedia ſubminiſtrare: ſolum vero hominem morbo detentum à ſe ipſo derelictum, niſi alij, vt Medicus inſtituendo, & Aſsiſtentes remedia præparando, ſuccurrerent, ita ab eo proſterni, vt vix effugere poſsit interitum. Propterea, in hoc tertio libro, Aſsiſtentium in quolibet morbo officium deſcribere, ab inſtituto noſtro nec alienum, nec ſuperuacaneum eſſe, iudicaui.

De Aſsiſtentis Officio in dolore capitis. *Cap. I.*

NOn ſolum ex febrium fuliginoſis ſpiritibus caput maxime dolet, de quo in ſuperiori libro tractatum fuit: ſed ſæpe ſine febre ex cauſa in ipſo infixa, & firmata, caput dolores patitur acerbiſsimos. qui enim ex vaporibus ab inferioribus partibus eleuatis oriuntur dolores, earum partium, vnde originem duxerunt, curatione ſanantur; ceteri vero, in quibus, quod Aſsiſtentis officiũ futurum ſit, in præſenti deſcribimus, vel ex ſolutione continui, vel praua vi, & facultate, vel humorum, ſpirituumque copia excitantur. Quod ſi ex materiæ copia (id enim ex graui pondere maxime cognoſcitur) in capite contentæ caput doleat, antequam aliquid circa ipſum caput moliamur, copia erit omnino imminuenda, ſi ſanguis abundet, venæ ſectione, ceteros humores ſi vel in naturalem temperiem reuocemus, vel omnino rebelles, aduerſarioſque euacuemus. Matthæus de Gratis, ceterique ex Arabum familia Medici, ſi quando ex plurimorum ſuccorum abundantia caput doleret, ex cephalicæ ſectione maius incommodum capiti inferri dicebant; & potius baſilicam ante, quam cephalicam, aperiendam eſſe affirmabant. Ceterum, ſi cataxim ipſius Gal. ſeruabimus, eiuſdem lateris cephalicam incidemus. Aſsiſtentis itaque proprium erit, exercitatum venæ ſectorem adinuenire. nam quam plurimi reperiuntur homines, in quibus vel cephalica altius, quam par ſit, ſita eſt, vel ita muſculos ſubintrat, vt, pluribus adhibitis frictionibus, arctiſsimaque facta ligatura, vix vmquam tamen poſſit inueniri. potius in manu prope magnum digitum ramus ipſius cephalicæ incidatur, quam ægro dolor, & ſine vlla vtilitate vulnus inferatur. Humores autem, qui ſua facultate infeſtant, ſi tenues, euacuationique apti, quam primum educantur; ſi autem in ipſius capitis amfractibus detenti, impactique fuerint; partim per ea, quæ caput reſpiciunt, intus aſſumpta, partim per naſipurgia, partim per embrocas, & ſtillicidia incidantur, attenuentur, fluidioreſque reddantur; & plurimæ tum deriuando, tum diuertendo ad eorum expulſionem aperiantur viæ. Si enim diuturni, & continui fuerint dolores, (de his præcipue in præſenti ſermo habetur) cum id non niſi ex frigidis, craſsiſque humoribus; & deprauata aliqua vi in ipſo capite impreſſa, proficiſci poſsit, in humorum potius concoctionem, capitiſque corroborationem, quam in euacuationem,

cuationem, incumbemus. quamquam euacuationes per epicraſim, & per nares, os, inſtitutæ, capiti ſemper maxime profuere. per eas igitur vias, & præſertim per nares, quæ ad expurgandum caput elaboratæ eſſe videntur, materiam in capite contentam euocare ſtudeat Aſsiſtens. frigiditas vero, & intemperies in ipſo capite contracta per embrocas, & ſtillicidia, ex accommodatis medicamentis comparata, & ſuper ipſam commiſſuram coronalem infuſa tolli, ſuperarique poterit. hæc cum ſiue ad partem corroborandam, ſiue ad humores digerendos plurimum facere videantur, iubeat Aſsiſtens circa commiſſuram coronalem deradi capillos. in promptu ſit triticea paſta,qua ipſa commiſſurarum regio circumualletur ne olea, decoctionesque in caput infuſæ ſtatim effluant, ſed paullulum in ipſa retineantur, vt earum virtus, atque facultas melius ipſi capiti imprimatur. habeat propterea Aſsiſtens inſtrumenta, quibus huiuſmodi ſtillicidia fiunt aptiſsime parata, ſiue olea, ſiue ſimplicium medicamentorum decocta fuerint, ſemper actu calida ipſi capiti infundantur: frigidum enim inimicum capiti: ſed, cum in huiuſmodi ſtillicidijs, & oxyrodinis, vt facilius ad intima penetrent, non nihil aceti admiſceri ſoleat, quidam non ſpernendus auctor in debilibus illud ſummopere damnat. Huiuſmodi vero ſtillicidia ieiuno ventriculo mane, & ſero per horam ante cenam per integram horam in ipſam decidant coronalem, ſeu donec eo æger plurimum recreetur. Dolores vero capitis, qui ex ſolutione continui, vt ex vulneribus, excitantur, niſi copioſus fluxerit ex vulnere ſanguis, ſtatim eiuſdem lateris cephalica aperiatur, poſtmodum ex præcepto ipſius Hip. lib. de capit. vulneribus medicamentum, quod bilem educat, exhibeatur: dolor demum ex vulnerum curatione ſedabitur. Quod ad officium Aſsiſtentis in victus ratione ſpectat, cum maximus ſit ventriculi cum capite conſenſus, cibi ſint boni chimi, & facilis concoctionis, caueatque ab ijs omnibus, quæ vel caput petunt, vel diutius in ventriculo immorantur. ab Hip. primo de morbis in affectibus capitis vino omnino interdicitur: & lib. de aere, aquis, & locis dicebat, capita debilia habentes non eſſe valde ad vini potum accommodatos. Verum, ſi affectus diuturnus ſit, & ventriculus ex aquæ potu maxime lædatur, ſi vinum exhibeatur album, lene, dulce, ex eodem Hip. de rat. vict. minime caput tentabit: nonnulli vero aſſerunt, ſi prima menſa, & poſtrema aqua potetur, quodcumque vinum in media aſſumatur, minime caput ferire. A ſole, igne, auſtrina conſtitutione, ab immoderato motu, circuitionibusque continendus erit, qui capitis dolore laborat;

&, vt ex immodico ſomno caput ingraueſcit, ita perpetuis vigilijs nimis exſiccatur: denique inanitio, repletio, venus immoderata capitis dolorem inducunt, & augent.

De Aſsiſtentis Officio in vertigine. Cap. II.

VErtigine laborare dicuntur illi, qui, vel circum circa volui videntur, aut tenebræ eorum oculis offunduntur. ea autem affectio eſt ſpirituum craſſorum, aut flatuoſorum in anterioribus cerebri ventriculis turbulenta commotio. cuius origo, & cauſa, vel à partibus inferioribus deriuatur, vel in ipſo capite fixa, ac firmata eſt. ſi aliunde, reuellendo, & reprimendo vapores, qui affectum hunc procrearunt, facile curabitur: at, ſi in ipſo capite affectio ſit, vel à copia, vel à deprauata vi, & natura, copia euacuatione, facultas, ſi ad naturalem temperiem traducatur, ſanabitur. Aſsiſtentis munus in hoc affectu erit, vt, ſi æger, antequam vertigine corripiatur, aliqua ſigna præuideat præſentis affectus, is ſtatim aquam potet, aut os abluat, & diutius in eo retineat. ex ea enim acceſsio remouebitur; at, ſi vertigine fuerit correptus, dum æger in ea verſatur acceſsione, nullum remedium, præter leues frictiones, in partibus inferioribus adhibeatur: in acceſsionibus enim abſtinere oportet. Neque hoc ſymptoma contemnatur. nam aut in paralyſim, aut in epilepſiam gradum faciet. Auſter, humidæque conſtitutiones, per noctem itinera, radij lunares vertiginoſis præcauenda ſunt: aromatum ſuffitus, expletiones, ebrietates, ſuaues, putridique odores, tanquam peſtis fugienda: aluus ſi non ſponte, arte ſaltem mollienda: corporis motus moderatus, & is aperto, ſerenoque cælo, & ex Celſo vertigine laboranti matutinum, veſpertinumque creſpuſculum Romæ, & in humidis regionibus, & tempore hiemis eſt omnino euitandum: denique, quo ad fieri poteſt, caput exſiccandum: cum vt plurimum affectus hic ex nimia humorum craſsitie, & humiditate oriatur.

De Aſsiſtentis Officio in phrenitide.
Cap. III.

PHrenitis, de qua nunc agimus, inflammatio eſt membranarum cerebri, à copioſo ſanguine, vel bile ad ipſius cerebri meningas confluente. hanc & perpetua deliria, & febres continuæ ſubſequuntur. quæ enim ad ipſius febris inclinationem ceſſant, deliria, ea ex febrium vaporibus ſurſum eleuatis oriri maxime patet. potiſsima huius affectus curatio, in ſanguinis euacuatione, bilisq. purgatione verſatur. Si adhuc humores repant ad ipſum caput, reuulſionis, & euacuationis, ergo ſanguis ex cephalica mitti debet. Sed, ſi inflammatio confirmata ſit, & vires non valde conſtent, nihil præſtantius, quam frontis venam ſecuiſſe. ab hac reuulſionis gratia cucurbitulæ prius in inferioribus partibus, vt natibus, paullatim aſcendendo ſunt applicandæ. Aſsiſtentis itaque in hoc affectu partes erunt, ea, quæ & ad ſanguinis miſsionem, & ad medicamenti exhibitionem ſpectant, memoriæ repetere, quæ in primo libro de hiſce inſtrumentis litteris mandaui; ſtudiumq. præcipuum ipſius ſit multorum ad eum congreſſum prohibere, &, ſi qui introducuntur, ſummæ ſint apud eum auctoritatis; ita, vt coram iis aliquid præter rationem loqui pertimeſcat. neque cum ægro longus inſtituatur ſermo, ſi præſertim à ratione, vel ab ægri conſuetudine ſit alienus. Quod vero ad locum, in quo delirio affecti collocari debeant, alij clarum, obſcurum alij maxime commendarunt. Verum, ſi delirans huc atque illuc conuertatur, & ex diuerſarum rerum adſpectu magis garriat, & obloquatur, cubiculum, in quo æger recumbit, omni prorſus, lumine ſit orbatum: ſed, ſi quo in obſcuriori loco continetur, eo magis deliret, nec omnino in tenebris iaceat, nec multo lumine, apparatu, picturis, & formis locus retineat, & eluceſcat. ex lumine enim agitantur humores, plurimiq. reſoluuntur ſpiritus, neque ægri è lecto conſurgant; &, ſi vim inferant, leniter obligentur; &, cum perpetuis vigiliis, vt plurimum, delirio correpti afficiantur, nihil vtilius, quam ſomnũ pronocare, ſemper à leuioribus inchoando. ſi enim ex delirio in grauem ſomnum fieret tranſitus, exigua ſalutis ſpes relinqueretur. vt autem facile ſomnus inducatur, aqua in vas æneum continuo decidat: adſint variorum inſtrumentorum, auiumq. concentus; omniaq. prius tententur, antequam ad medicamentorum ſomnum inducentium applicationem deueniamus. Pro viribus vero manute-

nutenendis, hora cibi ſumendi conſueta ſorbitiones tantum delirio correptis exhibeantur, quæ & facilis concoctionis ſint, & refrigerent, humectent, acerboſque humores contemperent. Verum, aliquando tanto premuntur delirio, vt cibum etiam capere renuant: cogendi tamen ſunt: propterea ſit paratum cochleare illud coopertum, & acuminatum, quod vi in os immittatur, vt per illud ſorbitionis tantum infundatur, quantum ad vires modice debilitatas continendas ſufficere videatur. Ad localium vero adminiſtrationem, antequam Aſsiſtens deueniat, & communes euacuationes, deriuationes, reuulſionesque præcedant; oxyrodini vero actu frigidi applicationem deraſis capillis circa commiſſuram coronalem multi ſummopere damnarnnt. Ceterum, cum frenitis membranarum cerebri inflammatio ſit, ſi, dum materia fluit, oxyrodinum applicemus, huius frigiditate, humores in partes internas repercutimus, & in ipſum cerebrum detrudimus, ſi fixa, & iam firmata ſit inflammatio, & humores in parte contenti, & hunc affectum procreantes digeri, ac reſolui, & euacuari deberent ex frigidorum ſupra commiſſuram appoſitione incrudeſcent magis, & cerebrum ipſum refrigerabitur, contra Hippocr. inſtitutum. frigidum enim inimicum capiti. Itaque in omni capitis affectu à repercutientibus viri iſti iubent abſtineri. ſed Galenus aliter ſentit in 13. Met. cap. 11. ſi vero caliditatem illam ex inflammatione in ipſo cerebro procreatam contemperare, eiuſque impetum retundere velimus, id cum temperatis medicamentis, aliquorumque infrigidantium mixtione, actu tamen calidis, facile præſtabimus: propterea ſtillicidia illa, & embrocæ, ex rebus temperatis comparatæ, ex alto in ipſam commiſſuram cadentes, ſummam ad materiam dirigendam, & reſoluendam præſtabunt vtilitatem: arietum pulmones calidi, catuli, galli, pipiones viui per medium inciſi, & caliditate illa innata appliciti, ſummopere in hoc affectu laudantur. Denique Aſsiſtens, cum huiuſmodi ſymptoma homines ſtatim è medio tollat, totus in opportunis remediis adhibendis ſit occupatus.

De

De Aſsiſtentis Officio in ſoporiferis affectibus. *Cap. IV.*

SI quis in profundum incidat ſomnum, obliuioſus, ſtupidus, ſæpe oſcitans, aut ore hianti perſiſtat, &, ſi ad reddendam vrinam ei matula offeratur, mingere obliuiſcatur, vel, ſi mingat, vrina ſimilis ſit lotio iumentorum, hunc ex Gal. primo prorit. 1. frigida, humidaque intemperie in ipſo capite laborare diligens Aſſiſtens intelligat. hæc intemperies aliquando cum materia copulata, aliquando ſola inhæret, ſi cum materia, & ea in capite concludatur, neceſſe eſt, vt putrefiat, & febrem accendat. Ideo ſomniferæ affectiones, cum febre vt plurimum coniunguntur, hos affectus eius eſſe naturæ dicebat Celſus lib. 2. vt, niſi ijs ſtatim ſuccurratur, homines e medio tollant, & Gal. 13. Met. ſopore correptos ſtatim præcipit eſſe excitandos. Aſsiſtens autem, an hoc ſymptoma phreniti di, febribusque continentibus ſucceſſerit, an per ſe in ipſo capite ſit genitum, præcognoſcat. Qui enim phrenitidem, aut febres, aut nimiam frigidorum medicamentorum fortaſſe ipſi capiti applicationem, aut immoderatam euacuationem ſomnus ſubſequitur, cum vt plurimum vires maxime fractas, ac debilitatas inueniat, vix curationem admittit, ſed, ſi Aſsiſtens per vires curari poſſe conijciat, & affectio non aliunde, ſed ſit in ipſo capite procreata, leuia quædam prius, & extrinſeca, an per ea æger ſomno ſolui poſſit, experiatur. Quare, ſi ficta ante eum pugna excitetur, vel ab aliquo nullius exiſtimationis viro is contumelijs, ac iniurijs afficiatur, vel de aliqua re ſibi admodum grata triſte nuntium afferatur, tanta ira, animiq. cura corripietur, vt ſæpe hæc ad eum vigilem continendum ſufficiant. Hoc autem præſidio Opimium illum auarum apud Horat. lib. 2. ſat. 3. Medicus fidelis e profundo ſomno reuocauit.

Quondam letargo grandi eſt oppreſſus: vt heres,
Iam circum loculos, claues, lætus, ouansque,
Curreret. hunc Medicus multum celer, atque fidelis
Excitat hoc pacto: menſam poni iubet, atque
Effundi ſaccos nummorum, accedere plures
Ad numerandum. hominem ſic erigit. addit & illud,
Ni tua cuſtodis, auidus iam hæc auferet heres.
Men viuo? vt viuas igitur, vigila. —

Non inutile etiam erit, vt refert Oler: lib. 1. de morbis internis, ſonitu

ſonitu tubarum, & muſica ægrum aliquo, aut per cubiculum ambulantem circumducere. At, ſi affectio hæc tam altas radices egerit, vt maioribus egeat præſidiis, ſemper Aſsiſtens à leuioribus capiat exordium, præſtitis communibus antea euacuationibus. Nam, etiamſi affectio hæc per ſe, cum frigida ſit, ſanguinis miſsionem minime expoſtulet, ſi tamen latæ appareant in capite venæ, & tota facies in tumorem eleuetur, ceteraque præmonſtrentur ſigna, hos ſuccos cum ſanguine eſſe commixtos, audacter vena ſecetur. à ſanguinis miſsione, vel per pillulas purgatione, & clyſteriorum acrium reuulſione, naſipurgia, ex decocto maioranæ, ſucco blitis admixto, vel melle roſaceo, vel oxymelite actu calida per infundibulum naribus iniiciantur. Per ea enim non ſolum humores illi craſsi, & viſcidi incidentur, attenuabuntur, & euacuabuntur, ſed frigiditas, & intemperies illa in cerebri membranis impreſſa contemperabitur. In iis itaque adminiſtrandis, ægro etiam renuente, Aſsiſtens aſsidua cura vtatur. nam, præter cetera commoda, quæ ex naſipurgiorum iniectione reportabuntur, æger etiam vigil continebitur. Sed, ſi hiſce præſidiis affectus, non cedat ad cucurbitulas, & cum inciſione, & fine, ad veſicatoria brachiorum, cruriumq. pulpis applicita confugiat, embrocæ etiam, & ſtillicidia, ex accommodatis oleis, aut medicamentis comparata, ad humores digerendos, frigiditatemque illam tollendam, actu calida adhibita, ſummæ erunt vtilitati. Aet. lib. 6. cap. de letargo de raſis capillis ſinapiſmata capiti imponit. Noſtræ autem ætatis Medici, ad ægros excitandos, prope commiſſuras, glandula ferrea ignita inurunt. Verum, niſi præſtitis aliis præſidiis, corpore, & capite bene euacuato, ignem quocumque modo capiti adhibitum ſemper Aſsiſtens vereatur: ignis enim ſua caliditate ex inferioribus partibus humores attrahet, & cruſta illa ab igne inducta humorum tunc impediet euacuationem. Idem Aet. eodem cap. plura ad ſternutamenta cienda proponit medicamenta: ſed ſternutamenta vehementer excitata in principio, præſertim cum humores agitent, atque conturbent, ceteris omnibus primo præſtitis, poſtremo loco adhibeantur. eaq. ſit tota Aſsiſtentis cura, vt æger continuo excitetur, ne in profundum ſomnum inducatur, tantumque alimenti per cochleare illud coopertum ſorbendum detur, quo vires vſque ad morbi ſtatum valeant perdurare.

De Offi-

De Officio Aſsiſtentis in affectibus virtutũ animalis. Cap. V.

APoplexiam fortem ſoluere, impoſsibile; debilem, non facile, dicebat Hip. ideo in forti, inanis eſt, & Aſsiſtentis, & Medici labor: debilis vero apoplexia, vt plurimum, in paralyſim terminatur. Affectus igitur neruoſas partes occupantes, quamplurimi numerantur: apoplexia, paralyſis, ſtupor, tremor, epilepſia, conuulſio, incubus: ex quibus, cum quiſque ſuam habeat cauſſam, poterit diligens Aſsiſtens apud Galenum primo de locis, cap. 6. & libro 3. cap. 10. & libro primo de cauſsis ſymptom. cap. 5. indagare. Sed, cum plures ex nimia humiditate inſenſibiles neruorũ meatus obſtruentes exoriantur affectus, & alij ex percuſsione, aut vulnere, alij ex nimia ſiccitate vniuſcuiuſque ſymptomatis naturam, & cauſſas cõtempletur. Neque uero parti affectæ, non præſtitis prius communibus euacuationibus, reuulſionibus, & deriuationibus, quidquam audeat applicare. Si morbi in capite fuerit origo, validi clyſteres ad reuellendum ſummam ſæpe vtilitatem pepererunt. Affectus autem, quos nimia frigiditas, humiditasque procreauit, & medicamentis, & cibis exſiccantibus curabuntur: &, cum huiuſmodi morbi, præter fortem apoplexiam, in longum producantur, vberior victus, habita ſemper ætatis, conſuetudinis, temporis, corporis, conſtitutionis ratione, inſtituatur. propterea uti poterit carnibus aſsis, quæ gariophylis, cinnamomo, & lardo configantur, vel lardum, quo carnes figuntur], cinnamomi, nucis muſcatæ, gariophylorum puluere perſpergatur: pro potu hydromel parabitur ex radicis acori, ſaluiæ, cinnamomi, maſticiſque decocto. Verum, ſi febris ſubſit, exiguum cinnamomi in aqua decoquatur: huiuſmodi autem aquæ, quæ pro potu aſſumendæ ſunt, ne faſtidium pariant ægrotantibus, per manicam Hippo. clareſiant. Oxymel vero, per ſe, cum acetum neruis ſit infenſum, niſi aceti copia diminuatur, & cum decocto, vel guaiaci, vel ſticados, aut ſerpilli, uel pulegij conficiatur, etiam ſi ad materiam craſſam incidendam, & abſtergendam plurimum poſsit, non tamen ſemper laudarem. Rhaſis præterea dicebat, famem, vigiliam, motum, purgationem, ſanare paralyſim, & ad iram paralyſi affectum prouocare, vt de Tito Veſpaſiano fertur. fortaſſe non inutile erit, à vino abſtineat, quod, ſua tenui ſubſtantia, partes neruoſas facile permeet: vigiliæ etiam, cum exſiccent, potius, quam ſomnus,

nus, præter moderatum, & conſueto breuiorem, conueniunt. motu, ſi is fieri poſsit, nihil vtilius; ſed, illius loco, frictiones, cucurbitulæ, ſi reſolutæ ſint partes, inſeruient. &, quoniam in neruorum reſolutione ſtufæ ex maioranæ, ſaluiæ, origani, calamenthi, calendulæ, ſarmentorum vitis, pulegij, ſticados, decoctione comparantur; ſumma ſit Aſsiſtentis cura, vt corpus reſolutum, ſiue contractum, loco bene concluſo, ne decocti ſpiritus euaneſcant, collocetur, & e recto membra reſoluta ipſius balnei, ſeu ſtufæ vaporem recipiant; &, vt copioſiores uapores, & ſpiritus, ex decocto eleuentur, candentes ſilices iniiciantur; ægri vero in huiuſmodi ſtufis euſque detineantur, quouſque membra reſoluta, aut contracta, Aſsiſtens, ſi per vires licebit, ruborem contraxiſſe animaduertat. Poſt præſtitas communes euacuationes, omnes, qui de re Medica ſcripſerunt, partes reſolutas conuenientibus oleis foueri præcipiunt: ſemper autem à leuioribus inchoemus. Quare partes prius per frictiones excalefactæ ſimplici oleo calenti infundantur: ad ea deinde, quæ magis exſiccent, & calefaciant, progrediemur. Verum, cum in hoc affectu ventriculus, inteſtina, veſica, quippe quæ ex neruoſa ſubſtantia compacta ſint, maxime capiantur; ideo potiſsima erit Aſsiſtentis in hoc affectu cura, atque induſtria, has partes primo tueri, ac corroborare. ſi enim harum aliqua à ſuo deficiat munere, neque in naturalem ſymmetriam poſſit reuocari, nulla ſalutis ſpes reliqua erit. Conuulſio vero, quæ ex nimia euacuatione, vulnere, vel ſiccitate oritur, ſane curatu difficilis erit. nam, ſi vehementibus, aut diuturnis febribus ſuccedat, quod paralyſi minime euenire poteſt, cum ſiccitas contrahere, humiditas vero diffundere, & relaxare ſoleat, ea, quæ pro fotibus, ſtufis, lenimentiſque inſtituuntur, abſque aliqua caliditate humectent. Quare ex hydroleo balneum, quod ex æquis olei, & aquæ partibus componitur, maxime à veteribus in hoc affectu commendatur: protracto autem in longum morbo, contractas partes in balneum olei calentis iniiciemus. quod hac ratione paratur. Quinctam olei partem calefacimus, & cum quattuor partibus non calefactis commiſcemus. In incubo, quod ſpecies conuulſionis exiſtimatur, id ſolum animaduertat Aſsiſtens, vt hoc affectu oppreſsi ſtatim excitentur, & ne in poſterum reuertatur acceſsio. moderata, ac ſobria viuendi ratio iis inſtituatur: cena prandio ſit tenuior: & poſtremo potet aquam; &, pro humorum redundantia, facta euacuatione, cum mane conſurgit, leuiter caput

put pectat, ex ebore in poſteriorem partem deducto pectine. In pane parando Aſsiſtentis partes erunt, ne cum tritico, ex quo panis conficitur, lolium ſit admixtum. vt enim refert Matthæus cap. de ſtupore, lolium partibus nerueis ſumme aduerſatur.

Epilepſia etiam, cum conuulſionis ſit ſpecies, & in pueris ex Hippo. & Gale.ſexto epid. comm. primo, ætatis mutatione ad ſiccum perſanetur, in aliis ita difficilis curationis eſt, vt Gardonius referat, neminem ſe vidiſſe plane ſanatum. Id muneris in hoc affectu miniſtri erit, vt omnia, quæ in hunc affectum ægrum adducere poſſunt, prorſus è medio tollat: qualis eſt aer nubiloſus, auſtrina conſtitutio, lunæ radiorum domum ingreſſus, per noctem itinera, cibi craſsi, & praui ſucci, eſus hepatis hircini, caro caprina, vngularum, ſeu carnium caprarum ſuffumigia, fructuum humidorum vſus, vini potus. Dum autem æger in acceſsione verſatur, nihil tentandum, præter leues frictiones, aut acres clyſteres ad excitandum. Ne vero acceſsio ſæpe reuertatur, radicem peoniæ cum eiuſdem ſeminibus collo appenſam ſummopere laudant. Verum ex hac, & ex ligno viſciquercini paratum decoctum pro potu continuo adhibitum, valde huic affectui contuliſſe, ſummæ auctoritatis viri memoriæ tradiderunt.

De Aſsiſtentis Officio in Melancholicis affectibus. Cap. VI.

INter affectus melancholicos mania, furor, melancholia adſcribuntur: hi vero, vel ex humorum in ipſo capite aduſtione, vel ex atris ſpiritibus ex partibus inferioribus ad caput eleuatis producuntur, quos terror, timor, audacia, deſperatio, & aliquando perpetui riſus concomitantur. Etſi omnes hæc ſymptomata, ſine febre accedere volunt, experientia tamen conſtat, in febre hominem ſæpe melancholicum reddi, & aliquando poſt febrem ipſam, multa à ratione aliena animo euoluiſſe. Incidunt autem in hos morbos, homines temperie calida, & ſicca, pluribus negotiis, forenſibusque occupati, nimis ſtudio dediti: multos vero ex amore inſaniiſſe accepimus. Inſania, quæ cum riſu aduenit, cum atros humores ſanguine admi-

xtos eſſe ſignificet, copioſa illius euacuatione ſanatur: at, quæ cum perpetuo ſilentio, aut vehementi timore, aut ſummo furore, homines corripit, inſania, vix curationem admittit, ſi præſertim diutius perdurauerit. Quare optimus Aſsiſtens, aut miniſter, ad horum ſymptomatum curam adhibitus, ſemper ex Galeni inſtituto, primo, & tertio de locis, & tertio Epid. an affectus in ipſo capite ſit firmatus, vel à partibus inferioribus foueatur, ante omnia præcognoſcat. Si enim in partibus infernis huiuſmodi origo, & fons exſiſtat, his curatis, capiteque firmato, omnino affectio remouebitur. Nam ex hypocondriis ita nebuloſi, & obſcuri nonnumquam vapores eleuantur, vt ſpiritus, qui in cerebri ventriculis, ad apprehendendum, ratiocinandum, iudicandumque producuntur, ab his affecti; & labefactati, à ſua naturali temperie munereque deficiant. Sed, ſiue ex alijs partibus proficiſcatur, ſiue in ipſo capite genitus ſit morbus, ad Aſsiſtentem maxime ſpectabit, nihil ægro inſtituere, antequam communes euacuationes, deriuationes, reuulſioneſque pro morbi cauſsis, ſymptomatibuſque fuerint præſtitæ, & adminiſtratæ. quæ ex primo huius operis libro erunt promenda, & aſſumenda. Ad reuellendum autem, ſimulque euacuandum, in omnibus ab atris ſuccis affectibus dependentibus, hirudinum applicatio hæmorrhoidibus etiam in non aſſuetis ſummam peperit vtilitatem. Etenim ſi morbus ex hypocondriis oriatur, cum omnes velint terreos ſuccos in has venas à natura detrudi, quæ hypocondriis, & pancreis cum proximæ ſint, vicinitatis ergo, & quia humores nocui per eas venas euacuantur, remedium maxime opportunum ſemper eſſe iudicaui: ſin vero morbum in ipſo capite reſideat, quia ſummopere ab ipſo reuellunt hirudines, nemo eſt, qui eas neget conuenire; in iis autem applicandis leges, quas capite proprio attulimus, obſeruentur. Age vero, in præſidiis adhibendis ſit certus ordo, methoduſque, vt principio, alui, & primarum regionum excrementa per idonea, & lenientia medicamenta expurgentur: tum, ſi multis ſuccis corpus abundet, & præſertim craſsis, & melancholicis, baſilica ſiniſtri lateris, largo inducto orificio, ſecetur. Sanguis vero, dum fluit, ſi is craſſus, aterque ſit, virtute ferente largius mittatur; &, vt ad venae oſculum facilius confluat, venae vulnus ſaepe digito claudatur; iterum deinde, amoto digito, aperiatur, donec ſanguis rubeus, floridusq. appareat. At vero, ſi, inciſa vena, non niſi ſan-

guis effluat tenuior, ſtatim venae vulnus occludatur, nec, quo per medicamenta aperientia,& incidẽtia ſubtilior reddatur, vnquam poſtmodum vena aperiatur; ſed, ſi adhuc affectus perſeueret, nec ſanguis ille craſſus,& niger fuerit penitus euacuatus,verum in certa corporis parte ſedem ſibi collocauerit, ſi in pancreis, ſiniſtroq. hypocondrio,ex ſaluatella ſiniſtrae manus ſanguinẽ euacuabimus; ſi hæmorrhoides intumuerint, & huic euacuationi ſit æger aſſuetus, per hyrudines ano applicitas; ſed, ſi mulier, & compreſſa ſint menſtrua, ex ſaphena interiori ſiniſtri pedis, vel ſcarificatione ipſius tali: at vero humor hic ater,atque obſcurus, ſi animi domicilium,& quibus intelligimus ſpiritus ſua caligine obtenebrans, atque offundens occupauerit, poſt baſilicam, cephalica; poſt hanc, vena frontis, maxime conueniet; in quibus aperiendis Aſsiſtens, quæcunque opportuna,neceſſariaq. eſſe videbuntur,& in vena præſertim frontis ſecãda,comparet,& adminiſtret. Nam, vt vena,quæ in fronte eſt,in tumorem eleuetur,ita non nulli collũ conſtringunt, vt ægrum fere ſuffocent.& ideo in frontis vena ſecanda collum obligare,atque cõſtringere non poſſum non maxime damnare.ex ſolo enim ſpiritu contento, factis in fronte frictionibus, ita ſe vena demonſtrat,vt facile ſecari poſsit. Redundantibus itaque humoribus per ſanguinis miſsionem euacuatis,ad eos,qui reliqui ſunt, cõtemperandos, & ad naturalem ſtatum, ſi fieri poteſt,reuocandos; ſin minus, per conueniens medicamentum expurgandos accedamus. Et, ſi multa ad hos ſuccos æquandos inſtituuntur medicamẽta,quale eſt ſyrupium de ſucco boraginis,de lupulis,de fumaria, de pomis,ſabor regis,de polypodio, de biſantijs; his tamen antea adminiſtratis, ſeri caprini pro Aetij inſtitutis parati, boragine, lupulis, bugoloſſa, floribus cordialibus medicati perpetuus in toto morbi curriculo vſus ad hos affectus tollendos, debellandosq. erit ceteris omnibus medicamentis anteponendus. Quamobrem, vt omnia,quæ ad ægri curam facere videbuntur, Aſsiſtens noſter calleat, ſeri parandi rationem ex Aetio lib.6.cap.10.breuiter deſcribam.Sit lac equinum,&,ſi hoc haberi non poſsit,bubalinum,aut caprinum: lac ipſum in nouam ollam mittatur,ficiq.ramulo agitetur:poſtquã autem ter,aut quater ebullierit,aceto mulſo irroretur; deinde per colatum in potu detur. iubet autem Aetius,ex Galeno, vt ventrem ſubducat, primo mel admiſceri; cum autem venter ſubire inceperit, a melle deſiſtat: accipiat autem æger hoc ſerum per heminas non infra menſuram quinque heminarum. Nos vero loco mellis addimus drac. 1.pulueris foliorũ ſenæ,vel cũ ipſo ſero Drag.iij. foliorum ſenæ cum paſſulis,& parum cinnamomi incoquimus. Serum

hac

hac ratione paratum non ſolum vim humectandi, & prauos illos ſuccos contemperandi, ſed etiam eos ſine vlla humorum agitatione educendi obtinet: & eo magis ſerum cum ſena paratum conueniet, quo his affectibus detentis aluus exſiccari ſolet; a ceteris vero fortioribus medicamentis in hac ægritudine maxime cauẽdum eſt. cum enim humor hic terreus, craſſusq. ſit, quo magis agitatur, eo grauiora parit ſymptomata. Quidam ſummæ auctoritatis vir elleborum, ſtibiumq. præparatum ideo inſanientibus conuenire dicebat, quod, cum hæc maximos in vomendo excitẽt conatus, alio animum auertant, vt vapores illi nebuloſi, craſsique, ad alias partes delati, ſpiritus intellectioni inſeruientes, ab omni læſione, & incommodo vindicent. ſed, cum mens noſtra in diuerſis rebus intelligendis occupetur, omniaq. perluſtret, nec certis terminis contineatur, mirum videri non debet, ſi melancholia detenti diuerſarũ, multarumq. rerum agant deliria: & ideo Aſsiſtentis proprium erit, ſtatim atque, quo maxime inclinent ægri, præcognouerit, accommodata præſidia inueſtigare. alijs enim mentis errore affectis, qui abſque capite ſe eſſe putarent, ex Philotimo apud Aetium, præter ordinatam, & methodicam curationẽ, plumbeum pileum, quo grauati ſe caput habere intelligerent, eſt imponendum. Ijs vero, qui ſibi venenum propinatum eſſe exiſtimãt, aliqua leuia pharmaca, leuiter aluum ducentia, exhibeantur. ex quibus Aſsiſtens, venenum fuiſſe euacuatum, ſuadeat. Quidam, cum ſe mortuum eſſe putaret, & iccirco cibum, potumq. abhorreret, ab ijs, qui eius curam gerebant, in cubiculo detentus pro mortuo eſt, interclusus, comeden di tempore aduentante, alij, qui eo loci abſconditi erant, & mortuos ſe eſſe fingebant, menſam pararũt, quam multis, lautisq. cibis onerarunt: is vero, qui mentis errore laborabat, admiratione correptus, Cibos, inquit, aſſumunt ne mortui? tum illi, Quinimmo lautius, & vberius: & hac ratione cibum cepit, mentiq. eſt reſtitutus. Dies profecto, noctesq. contererem, in varijs ſymptomatibus enarrandis; quæ ex atris, nebuloſisq. vaporibus, ſpiritibus ad intelligẽdum deſtinatis, commixtis, atque confuſis proficiſcuntur. Neque illud erit ſilentio prætereundum, non nullos, aut deſperatione impulſos, aut furore percitos, ex altiſsimis locis fuiſſe proiectos, aut in flumen demerſos. propterea inſanientium miniſtri, & Aſsiſtentes maxime proſpiciant, ne ægri ſoli relinquantur, ſed vel vinculis deuinciantur, vel in aliquem ſecurum carcerem cohijciantur, ne ſua ſponte præcipites agantur. Iis vero, quos ſummus mæror, triſtitiaq. afficit, nihil ſalubrius, quam continuo cum hominibus verſari, aut ſuauibus concentibus recreari. Inſanientibus vi-

ctus

ctus humidus maxime conuenit: & propterea ea, quæ in cibis aſſument, laudabilis chimi, facilisque ſint concoctionis: qualia ſunt oua ſorbilia, carnes hædorum, pullorum, vituli elixæ potius: ex quibus iuſcula boragine medicata prima menſa aſſumpta tantæ ſolent eſſe vtilitatis, vt plurimi hac ſola victus ratione fuerint ſanitati reſtituti: &, ſi holera omnia, quæ emolliunt, melancholia detentis maxime conueniunt, vna tamen borago principem locum occupauit. Bubalinas, omniumque ſilueſtrium animantium carnes, legumina, caſeum, carneſque ſalitæ ſunt huic affectioni incommoda. Vino tenui vtantur: ſomnus, quippe qui humectet, vigilias excedat; &, ſi in ſomnes redduntur, in eorum cibis ea, quæ facile ſomnum inducere valeant, admiſceantur. In cibo vero capiendo, cum abſque maſticatione, vt ita dicam, nonnulli cibos quaſi deuorare ſoleant, vel carnem prius ſine panis admixtione aſſumant, poſtmodum panem, deinde reliqua alimenta, denique bibant, vel e contra; nullumque in cibo, potuque aſſumendo ſeruent ordinem: ad eum, cuius curæ ſubiectus eſt, æger maxime ſpectabit, ijs, in quibus mente deſtituti deficiunt, præſto eſſe. Ideo Aſsiſtens ſummæ ſit apud ægrum auctoritatis, & obſeruantiæ, ne quid coram eo temere audeat, & abſque ratione. In quibus vero nec Aſsiſtentis auctoritas, nec minæ proſunt, verbera valeant: corporis vero motus ſit cælo ſereno, & aperto moderatus, vſque ad ſudorem, amœnoque in loco, in quo æger ad quandam animi hilaritatem traducatur. Si corpus inſanientis contabeſcere videatur, aquæ dulcis balneum ſummopere profuit. ſtyracem modice potatum vultus triſtitiam diſcutere, 2. cata top. cap. 1. memoriæ tradidit Galenus.

De Aſsiſtentis Officio in oculorum affectibus.
Cap. VII.

CVm oculorum ægritudines Medicum ſumme exercitatum expoſtulent, Aſsiſtentium, miniſtrorumque cura ea eſſe debet, vt in remedijs adhibendis nihil, ſine præſtantiſsimorum Medicorum conſilio, ſiue intra, ſiue exterius, oculis applicetur. Tanta enim eſt oculorum præſtantia, atque dignitas, vt doctiſsimi viri aſſeruerint, caput à Deo Opt. Max. tanta arte, atque induſtria oculorum gratia fuiſſe elaboratum. Horum autem ſtructurã, vt in anatome videre eſt, opticorum neruorum, muſculorumque oculũ

circum

circum circa mouentium ſedem, membranarum naturam, humorũ, ac ſpirituum viſionem efficientium præſtantiam, quis, cum contempletur, ſummo ſtupore, aut admiratione non afficiatur? Hæc vero pars tanta nobilitate, & ſplendore inſignita, tot tamque grauibus afficitur ægritudinibus, vt in ijs diſtinguendis, curandiſque ſæpe ſummum doctiſsimis Medicis faceſſerit negotium. Enumerantur præcipue inter oculorum affectus, ophthalmia, viſus debilitas, ſuffuſio, illa tunicæ, quæ corneæ annaſcitur, & coniuncta dicitur. inflammatio eſt, quæ cum rubore, dolore, & partis tenſione accedit, &, quo humorum maior eſt confluxus, eo deterior redditur affectio. de hac loquebatur Hip. 6. Aphor. 31. cum dicebat, Oculorum dolores, meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut phlebotomia, aut purgatio ſoluit. Quæ quidem ſententia ita à præſtantiſſimo ſene recipiatur, vt pro dolorum cauſa, & magnitudine, diuerſa remedia inſtituantur. Si enim inflammatio exigua fuerit, nec in capite, aut toto corporis ambitu redundent humores, roſarum ſucco oui albumine admixto, vel plantagine, vel lacte mulieris curari poterit. quæ quidem, nec omnino frigida, nec calida oculo applicentur. lac autem ex ipſa mamma poterit in oculos inſtillari. At vero, ſi ex humorum in toto corpore redundantia inflammatio oriatur, antequam ad ocularia remedia accedamus, ſuperuacanei humores diminuantur; &, ſi bilis cum ſanguine admixta ſit, & in toto efferueſcant humores, primo ad cephalicæ eiuſdem lateris ſectionem, demum ad hirudinum circa aures, aut cucurbitularum dorſo applicationem deueniemus. ſed, ſi ex deprauatorum ſuccorũ vaporibus ſurſum eleuatis oculi afficiantur, &, debita viuendi ratione, & medicamentis accommodatis, vel ad benignum, vel ad eam moderationem traducantur, vt ſine vlla vi, aut moleſtia perſoluentia medicamenta educantur, in quibus rebus præſtandis, ſemper Aſsiſtens leges proprijs locis ſancitas memoriæ repetat. corpore vero omnī humorum vitio, aut redundantia euacuatō, ſi adhuc in capite aliqua deprauatorum ſuccorum ſemina ſuperſint, ita, vt affectui materiam ſubminiſtrent, ea digerenda, & leui medicamento educenda. Etenim Hip. de locis in homine in oculorum affectibus maxime veretur, ne forti pharmaco humores corporis agitati maiori impetu ad oculos rapiantur. Quod præſtantiſsimi ſenis inſtitutum omnes, qui bene de re Medica ſenſerunt, maxime comprobarunt. propterea euacuatio illa per epicraſim exhibita pillula vna, vel altera per duas horas poſt leuem cenam ſummopere laudatur; puro, omnique vitio capite immune, & fotu & collerijs ex accommodatis pharmacis comparatis, ſi ſemper à leuioribus incipiamus, ægritu-

dinem hanc penitus debellabimus. Verum, cum ab Hip. vini potio in oculorum doloribus proponatur, antequam Aſsiſtens ad hoc deueniat præſidium, hæc omnia optime contempletur, vt nec corpus vllis ſcateat humoribus, &, ſi ſuperſint, prius euacuentur, nec prauis abundet excrementis, nec caput æſtuet, nec imbecillum ſit. ex copioſo enim vini potu, ſæpe apoplexia inducitur: ij aũt, qui vini potum in oculorum doloribus ſuadent, præter ea, quæ antea dixi eſſe cognoſcenda, iubent, vt vinum ſit tenue, album, & meracum, quod largo, & patenti vaſe, quantum vno ſpiritu attrahi poteſt, ieiuno ſtomacho hauriatur, ita, vt ex vini potu oculis excutiantur lacrymæ. Aetius vero vinum aqua calida diluendum eſſe putauit, vt citius valeat ad intima, & ad ipſum caput penetrare. ſed in Epid. Hip. quotieſcumque pars aliqua capitis affecta ſit, ieiunis vino interdicit: ideo plurimi, alijs cibis admiſcendum eſſe voluerunt. Equidẽ, vt meam plane in hac re aperiam ſententiam, in omni capitis affectu, ſiue is ab inferioribus partibus foueatur, ſiue in ipſo capite firmatus ſit, cum pars affecta imbecillior reddatur, & noſtris temporibus nulla fere affectio reperiatur, quæ vel per ſe, vel per conſenſum caput ipſum non tentet, in oculorum ægitudinibus, vel omnino à vini potu abſtinerem, vel, ſi ob alias cauſas ſit dandum, multa aqua diluendum, in cibisque aſſumendum; &, ſi bis, terue ſit bibendum, vt vaporum aſcenſus comprimatur, poſtremo potus aquæ propinetur. Sed, vt ad inſtitutum noſtrum reuertamur, cum poſt communes euacuationes, corporisque expurgationem ipſi oculo tam repercuſsionis, quam reſolutionis gratia medicamenta adhibemus, ex Gal. 4. cata top. nec ratione ſubſtantiæ, nec facultatis gratia ſint aſpera, propterea in collyrijs ingredientia optime cõterantur, nec alicuius rei, præſertim acetoſi odoris, facultatem præſeferant: acetum enim, & ea, quæ facile in acidam naturam conuertuntur, ſunt oculis maxime aduerſaria: & ideo, cum lac oculo infunditur, cum facile corrumpatur, & in acidam naturã immutetur, ſi diutius in oculo commorabitur, ſummum afferet detrimentum; ſi quando vero medicamenta oculis applicanda longam, diuturnamque moram agere debeant, loco lactis albumen oui cum ijs admiſceatur. Illud etiam Aſsiſtens animaduertat, cum ex oculis multa, & craſſa ef fluat humiditas, illiusque pars ita palpebris inhæreat, vt oculum aperiri prohibeat, antequam oculo medicamenta adhibeamus, eã humiditatem aliquo conuenienti decocto, aliquantulum calido, vt ex feno Græco, prius abſtergi debere. Neque ijs aſſentior, qui ea, quæ oculis infunduntur, vel applicantur, ſemper actu frigida eſſe voluerunt. nam, ſi vlcera in oculo, aut in eius palpebris ſint, cum

P ex Hip.

ex Hip. frigidum vlceribus mordax, nocebit potius, & humores illi craſsi in palpebris impacti ex fotu actu frigido minime abſtergi poterunt, ſi quando vero veteres medicinæ parentes actu frigida oculis adhibenda eſſe præceperunt, ea ad vapores, qui ad oculos ex inferioribus deferuntur, reprimendos, oculorumque ſanitatem perpetuo tuendam, inſtituta fuiſſe, intelligi debent.

Viſus autem debilitas, ſiue ab ortus initio cœperit, ſiue poſtmodum ſit ſubſecuta, aut tunicarum oculi raritate, aut humoris tenuitate, aut viſorij ſpiritus ſubtilitate, ita, vt, antequam ad viſionem faciendam accedant, euaneſcant, exoriri ſolet. propterea mirum non eſt, ſi plurimi noctu, obſcuroque in loco perſpicacius videant. At, ſi ſubito, abſque manifeſta cauſa, viſio debilitetur, id vel humorum craſsitiei, vel neruorum opticorum obſtructioni adſcribemus. Ex quacumque autem cauſa viſus proficiſcatur debilitas, ſi ex ſanguinis copia, phlebotomia; ſi ex humorum impuritate, purgatione, poſtmodum reuulſionibus, deriuationibus antequam quidquam ipſi oculo adhibeatur, egebit. Quibus præſtitis, & localibus remedijs, quorum ſilua apud veteres, & recentiores Medicos maxime patet, & debita victus ratione diligens Aſsiſtens vti poterit. Verum, vt is aliqua præſidia præ manibus habeat, paullulum ab inſtituto noſtro recedens, nonnulla viſum corroborantia enumerabo. Ex caprino iecore torrefacto humiditas effluens oculis illita, viſus aciem acuit. Succus mali granati, optimo melle æquæ commixtus, ſolaribus ardoribus in æſtate per aliquot dies expoſitus, aut calidis cineribus concoctus, quibus vel ob ſcribendi, aut pingendi, aut legendi aſsiduum ſtudium videndi facultas eſt imminuta, oculis ſæpe illitus, ſummopere contulit. Ex ſimplicibus vero, quæ viſionem adiuuant, feniculus, ruta, celidonia, camedrios, raphanus, balzamina, eufragia, verbena, aſparagus, betonica, pimpinella, cariophylata, apium, maiorana, marrubium, iperici flores, ex aromatibus, macis, cinnamomum, nux muſcata, lignum aloes, ſpicæ, ſandali enumerantur. ex quibus & conſeruæ, quæ per os aſſumuntur, & pulueres fiunt, ex quibus collyria parantur, & aquæ in lambico deſtillantur: quibus ſi, dum deſtillantur, non nihil mellis immiſceamus, ad hos affectus profligandos præſtantiores redduntur. Proponitur præterea aqua ab Olerio medicata, quæ cæco nouem annorum viſionem reſtituiſſe fertur, quæ hac ratione paratur. Rec. ſucci apij, feniculi, verbenæ, camedrios, pimpinellæ, cariophylatæ, ſaluiæ, celidoniæ, rutæ, centinodiæ, morſus gallinæ, cariophyllorum, farinæ volatilis an. vnc. 1. piperis craſsiuſcule triti, nucis muſcatæ, ligni

aloes

aloes an. vnc. iij. omnia immergantur in vrina pueri incorrupti, & ſexta parte vini malnatici, bulliant breui tempore, tum exprime, percola, repone in vaſe vitreo bene obturato, hora ſomni guttas ſingulis oculis inſtilla.

Suffuſio vero fit cum ſpiritibus animalibus, aut ijs, qui à rebus externis ad videndi facultatem importantur, via, vnde pertranſibant, intercluditur, & humor albugineus ſe ipſo craſsior redditur. hic autem affectus ſæpe ex ventriculi vitio deprauatos humores ad oculos demandantis, non numquam ex ipſo cerebro deriuatur. In quo illud præcipue ante omnem curationem animaduertat Aſsiſtens, diuturna ne ſit, an recens affectio, deſperata, confirmataue, ita, vt curationem non admittat. quod ex hoc præcipue cognoſcitur. ſi humor ille, concluſo oculo, digito compreſſus conſiſtat, neque propagetur, nulla recuperandæ ſanitatis ſpes oritur; ſi vero grandinem, aut gypſum referat, aut nigra ſuffuſio ſine vllo ſplendore exſiſtat, nullus relinquetur curationi locus. At vero, ſi ſuffuſionis color cæruleus, aureus ferri nitentis, aut aquæ maris ſimilis, & recens ſit affectio, quamuis difficilis, non tamen erit omnino cura deſperata; &, ſi curari poteſt, cum doctiſsimis Medicis habito conſilio, optimeque ægritudine perſpecta, tum in purgationibus, tum reuulſionibus, deriuationibuſque adminiſtrandis, ea adhibeatur ab Aſsiſtente induſtria, quam affectus magnitudo expoſtulare videbitur; &, quo ad victus rationem in oculorum affectibus, cum vt plurimum ex nimia humiditate oriantur, & præſertim in ophthalmia, vbi multæ effluunt lacrymę, victus ſit exſiccans, laudabilis, ſed pauci nutrimenti, & cena ſemper ſit prandio leuior; à vino æger abſtineat, donec affectus penitus inclinauerit, qui, eo præſertim tempore, quo Medicorum curæ eſt ſubiectus, in loco potius obſcuro contineatur; ab auſtris flatibus, & ijs, qui caput replent, maxime caueat; exercitatio vero in oculorum affectibus, ne humores agitentur, periculoſa iudicatur; ſed, ſi, ſeruandæ conſuetudinis gratia, ſit aliquantulum exercendum, ſolis æſtus, lunares radios, matutinum, veſpertinumque creſpuſculum Romæ præſertim effugiat. in principio doloris in ophthalmia ſomnus ſit maior, ſed capite eleuato, nec ſupra partem ægram, at in declinatione, cum materia ipſi parti impacta ſit reſoluenda: idque melius in vigilia fiat: ideo vigilia potius, quam ſomnus, laudatur. aluum ſponte fluere, à uenere abſtinere in locis, vbi & fumus, & cuiuſcumque rei odores, fetoreſque inſpirant, minime verſari, ſunt in omnibus capitis affectionibus communia præcepta.

De Aſsiſtentis Officio in aurium affectibus. Cap. VIII.

INter aurium affectus præcipue dolor, ſibilus, ſurditas, deprauatus auditus enumerantur. Dolor autem ita vehemens auri ſuperuenit, vt ægri ex eo, vel animi deliquio, vel delirio afficiantur. Cum enim pars hæc acutiſsimo ſenſu prædita ſit, quippe quæ ex neruoſa conſtet ſubſtantia, ſiue per viam criſis, ſiue aliter ad eam humores confluant, ſummos excitant cruciatus. Ideo, poſt cephalicæ eiuſdem lateris ſectionem, ſæpe ad grauiora incommoda euitanda cogimur, cum ijs, quæ ſenſum obtundunt, lenire dolorem. Verum Aſsiſtens ſemper aliquid, quod eorum frigiditatem corrigat, quale eſt caſtoreum, admiſceat, & numquam aliquid actu frigidum auri inſtillet: frigidum enim ex Hip. inimicum cerebro, oſſibus, & neruis; præceptumque ipſius Gal. in 3. cata top. maxime ſeruet, vbi inquit, Ego nullum pharmacum dolore vexatis infundo; neque etiam per lanam inſtillo, vt pote, qui experientia edoctus ſim, quod præſtat, neque omnino conſtringere doloris tempore auditorium meatum, ſed per auriculare ſpecillum lana molliſsima obuolutum dolore vexatos foueo, pharmacumque, ita moderato tempore in aurifuſorio ſpecillo præparatum iniịcio, vt, interrogato per nos ægro, num tepidum ei videatur, num calidius ipſum ferre poſsit, ad tantam caliditatem procedam, vt nihil prætерea offendat. Hæc Gal. Sed, ſi dolor ex flatu oriatur, quod ex ſonitu, tinnituque cognoſcitur, milium in ſartagine excalefactum, & auri impoſitum, dolorem tollit: in tinnitu vero, audituque deperdito, aut corrupto, per pillulas cochias, capite prius expurgato, mentaſtrum, ſticados, ſanſugus, abſynthium, in olla aqua plena, os acutum habente, decoquantur, deinde traiectorium ori ollæ ſuperponatur; &, ne vapor decocti egredi poſsit, pannis inuoluatur; & auris ſuper os traiectorij ponatur. quod ſi ſæpe fiat, humores in his partibus infixi attenuabuntur, & vna cum his vaporibus euaneſcent. Quies, cibi, potusque moderatio, alui deiectio, moderatus ſomnus, nulla venus, animi æquitas, ad auris affectus perſanandos ſummopere laudantur.

De Aſsi-

De Aſsiſtentis Officio in oris affectibus. *Cap.* *IX.*

ETſi in ore quamplurimi procreantur præter naturam affectus, angina, & ſæuiſsimus dentium dolor præcipue Medicis negotium faceſſunt. etenim, cum illa gutturis inflammatio ſit, & tum partis ratione, tum morbi magnitudine, homines breui e medio tollat, ſubita eget Medicorum, & aſsidua Aſsiſtentium cura. Propterea æger in amplo, lucido, & temperato loco, capite erecto, ſtatim collocetur. ſi aluus ſponte excrementa non eiecerit, iniecto infuſo, redditoque, cephalica eiuſdem lateris aperiatur, tantumq. ſanguinis extrahatur, quantum vires perferre valeant. quattuor horis interpoſitis, poſtmodum ad venarum ſub lingua inciſionem deueniat, & ſanguis, donec ſua ſponte deſiſtat, effluat. ex eo enim, nec vires debilitari, nec magnam copiam euacuari pertimeſcimus; & ideo, dum è lingua ſanguis emanat, à gargariſmatibus, orisq. collutione æger abſtineat. cum enim ea repercutiendi, infrigidandi, meatusq. obſtruendi, uim habeant, ſtatim ſanguinis fluor comprimetur: immo, ſi exiguus ſanguis per linguam principio euacuetur, earum venarum inciſio repetatur; totoque morbi curriculo Aſsiſtens in cucurbitulis cum inciſione, & ſine dorſo, ligaturis extremis partibus faciendis, clyſteribus iniiciendis, gargariſmatibus adhibendis, ſit occupatus. gargariſmata vero in initio ex aqua roſacea, hordei, plantaginis, vino granatorum, ſucco lactucæ, diamorone, lacte caprino comparari ſolent: quæ numquam actu frigida ad os colluendum exhibeantur; tantumq. apud ignem contineantur, donec actualis frigiditas ſit extracta: extra autem in initio oleo camomelino, amygdalino, liliorum alborum, fauces leniantur: nonnulli, poſt ſanguinis miſſionem, caput per pillulas cochias euacuandum eſſe, ſuadent. Verum, cum humores his medicamentis euacuandi per gutturis vias pertranſire debeant; & commune ſit axioma, ne vmquam trahamus materiam ad locum affectum; & has pillulas vehementia medicamenta ingrediantur, difficileq. diglutiantur; tum ob prædictas cauſſas, tum ne humores agitentur, ſi aliqua per medicamenta euacuatio tentanda erit, eam per lenientia potius medicamenta faciendam eſſe conſulerem. Sed, cum in uehementibus anginis ſuffocationis periculum immineat, omni ſtudio, & contentione elaborandum eſt, ne reſpiratio impediatur. propterea cucurbitu-

la

la magna occipiti ſæpe, multaque flamma ſine, & cum inciſione applicita gutturis obcluſas partes ita aperit, vt ſæpe, reſtituta inſpiratione, ægros à morte vindicauerit. Si morbus ad ſalutem tendat, vel ex multis adhibitis euacuationibus, deriuationibus, reuulſionibus ſanabitur, vel in pus, & abſceſſum conuertetur. Ideo, in gargariſmatibus, cum morbus in ſuo vigore conſiſtit, nec adhuc humores fluunt, vel paullulum inclinari inceperit, ea, quæ maturandi reſoluendique vim obtinent, imminutis repercutientibus miſceantur: quale eſt decoctum caricarum, maluæ. lac vero ad dolorem leniendum, admixto melle, vel zacchаro, toto morbi decurſu conueniet: alternatim tamen, modo ex dictis reſoluentibus, modo ex lacte, gargariſmata fiant. cum autem morbus hic minime inducias det, continuo gargariſmata adminiſtrentur; totaque huius affectus ſalus, in virium robore verſabitur, ſi ad abſceſſum inflammatio tendat: cum ex Hipp. dum pus fit, febris, & dolor, rupto, vel arte, vt ferro, cerea candela, digitis; vel ſua ſponte, abſceſſu, æger, inclinato in terram capite, collocetur, ne pus in pectus deſcendat: ex eius enim deſcenſu pulmones læderentur: ad abſtergendum vero, vlcuſq. ab omni impuritate liberandum, cum gargariſmatibus ſupraſcriptis aliquid mellis admiſceatur: in angina, morbus cum acutiſsimus ſit, & in quarta ægros uel interficiat, vel euaneſcat, tenuiſsimo victu vtendum erit, qui & pauci nutrimenti, & in forma ſorbitionis exhibeatur: pro potu, aqua hordei, nihilq. tum in angina, tum in reliquis oris affectibus, tam ratione medicamenti, quam alimenti, actu frigidum aſſumatur. primis diebus, vbi præſertim rheumam in capite redundare Aſsiſtens intelligat, ægrum vigilem contineat. ex ſomno enim, dum humores fluunt, & augebitur inflammatio, & ſuffocationis periculum imminebit. Neque ea medicamenta, quæ à propria forma anginā perſanare dicuntur, prætermittantur, tum ea, quæ exterius applicantur, vt arundinis nidum cū oleo liliorum alborum diſſolutum; tum, quæ interius aſſumuntur, qualis eſt puluis ex ſtercore canis, per tres dies ex oſsibus enutriti, & cum melle mixtus, ſuper linguam detentus, vel ſimplex in gulam ſufflatus, is ad abſceſſum erumpendum creditur prodeſſe. Gal. de medicamētorum facultatibus nonnullos ſtercore pueri, per tres dies lupinis enutriti, exſiccato, & in puluerem redacto, faucibus inſufflato, vſos fuiſſe refert.

In dentiū vero doloribus, ſtatim atq. pro morbi cauſſa præceſſerint communes euacuationes, reuulſiones, deriuationeſque, ad ipſum dolorem leniendum deueniemus. Illud præcipue Aſsiſtens an-

tea præcognoſcat, an aliquis dens corruptus aliis putredinem communicet: morbida enim facta pecus, vt inquit ille, totum corrumpit ouile: an dolor ille ex nimia humiditate, neruis ipſos dentes obligantibus imbibita, exoriatur. ſi dens iam putredinem contraxerit, extrahatur. & nimia humiditas exſiccetur, id, exſiccantibus medicamentis denti applicitis, ſeu in ore detentis, facile præſtabimus. huiuſmodi autem ſunt. Rec. ceræ albæ, q. ſ. ſalis minutiſsime triti parum, miſce, & denti affecto applicetur. ab aliis cortex mori, dentibus manſa, his doloribus prodeſſe fertur. præterea, ſi os aceto, in quo rana incocta ſit, colluatur, dentium dolor remittitur; omnibus, quæ caput replere, qualia diurnus ſomnus, inſolationes, nimiæ repletiones, ebrietates, immoderata venus, adſtrictior aluus, dentium dolore correptis interdicantur.

De Aſsiſtentis Officio in pleuritide. Cap. X.

PEctus, in quo cor omnium membrorum nobiliſsimum, fons caloris, quo primo viuimus, & poſtremo interimus, ſibi ſedem, & domicilium collocauit, tot, tamq. grauibus ſubiicitur morbis, vt, quæcumque eius pars, vel exigua, lædatur, ſemper ægris ſummum importet vitæ periculum. Ea enim eſt ipſius cordis præſtantia, atque dignitas, vt cetera omnia membra ad eius tutelam, atque cuſtodiam, videantur eſſe comparata: & ideo, cum morbus, tamquam infeſtiſsimus hoſtis, deuictis, proſtratisq. cuſtodibus, captis mœniis, in eius domicilium penetrauerit, cor omni præſidio derelictum, & inimicorum armis vndique ſæptum, & obſidione cinctum, niſi aliunde, & quamprimum ei ſubſidia ſuperueniant, poſtremo inimicis viribus deuictum ſuccumbat, ac intereat, neceſſe erit. Quare Aſsiſtens, ſi quando partes ipſi cordi propinquiores aliquo corripiantur affectu, ei ſe ſe totis viribus, atq. conatibus opponat, & ipſum cor ab omni offenſione tueatur. pro partium varietate, quæ in ipſo pectore continentur, diuerſa ſymptomata inſurgunt: totus enim ille intra pectus ambitus, qui thorax nuncupatur, oſsibus, cartilaginibus, membranis, neruis, venis, arteriisq. conflatur. in hoc cor ipſum, noſtræ vitæ dominus, ac moderator, in ſpiritibus vitalibus elaborandis occupatum, perpetuo motu cietur. ipſius cordis calorem, quaſi flabello, inſpirando, reſpirandoque, contemperantes circumcirca pulmones collocantur. Septum præterea tranſuerſum, ſumma arte, ac vitæ beneficio vitales partes

tes a naturalibus diuidit, atque diſtinguit. Ex quo pleuritis, peripleumonia, aſma, tuſsis, phtiſis, ſanguinis ſputum, ſępti tranſuerſi inflammatio, cordis tremor, inter pectoris grauiſsimos morbos enumerantur. Et, vt à pleuritide exordiamur, Gal. 5. de locis, eam membranæ coſtas obuoluentis inflammationem eſſe voluit, quam & vehemens febris, acutiſsimus dolor, reſpirandi difficultas, perpetua tuſsis, duri, aſperiq. pulſus, deprauatus in latus affectum decubitus concomitantur. Hæc ſigna cum viderit, animoq. ſecum euoluerit Aſsiſtens, veram pleuritidem eſſe intelligat: cumq. morbus acutiſsimus ſit, & breui homines ad internecionem perducat, in remediis opportunis parandis, adminiſtrandiſque, totus occupetur. propterea, cum in omni inflammatione nihil præſtantius ſit, quam ſanguinē mittere, vbi in loco tēperato ægrū collocauerit, iſq. ſi nō ſponte, ſaltē per infuſum alui excremēta proiecerit, ſiue furſum ad iugulū, ſiue deorsū tēdat dolor, pro viriū robore, ex baſilica eiuſdem lateris ſanguinem mittat. &, quoniā maioris cenſetur vtilitatis, in pleuritide ſanguinis miſsionem repetere, quam vnica vice eum, qui videbitur, euacuare; ideo Aſsiſtens, ſi affectus ſanguinis libra egere, viresq. eam pati poſſe cognoſcat, primo vnc. vj. poſtmodum, pluribus interiectis horis, id, quod reliquū eſt, euacuetur. ſæpe etiam vſu venit, vt, in toto morbi decurſu, ſæpius ſanguinem mittamus. nam, quouſque dolor fuerit imminutus, & febris, & ſymptomata remiſſa, ſi vires ſint ferendo, a ſanguinis miſsione numquam deſiſtat. nam, in omnium viſcerum, & nobilium membrorum inflammationibus, ſolum virium robur ſalutem demonſtrat, & pollicetur. neque me latet, Hippocratem, ſi dolor ad inferiora vergat, purgationem potius, quam ſanguinis miſsionem, ſuadere. ſed, pace tanti viri, cum Galeno libentius ſemper ad venæ ſectionem deuenirem. Idem etiam, vt dolorem leniamus, aſſerit, calidis fomentis eſſe tentandum. quæ ſenis ſententia, aut de doloribus a flatu, aut poſt ſanguinis euacuationem, aut tentandi gratia, intelligi debet. Id præterea Aſsiſtens in ſanguine mittendo animaduertat, vt tempore, quo minus dolor vrget, id fiat. nam, cum dolores tertio quoque die augeantur, niſi vrgeat neceſsitas, ſi prima die non ſecuimus venam, quartam exſpectemus; &, quoties repetendi mens erit, ſemper a diebus imparibus caueamus. Miſſo ſanguine, ſi in ventriculo, primiſq. venis, quæ clyſtere educi non poſsit impuritas, & humorum corruptio redundet, lenienti medicamento euacuabimus. reliquo vero a ſanguinis miſsionis tempore, totus Aſsiſtens in fotus loco dolenti applicandos incumbat. ſed, ſi dolor ex phlebotomia non ſit imminutus, &

con-

continuo in pectus à capite fluant humores, & pars affecta ex Gal. 2.acut.t.1.ratione doloris plus attrahat, quam ex ea euaneſcat, ſi eo tempore fomenta adhibeantur, inflammationem augebimus. Nam, ſi, ſanguine euacuato, adhibitisq. calentibus fotibus, dolor in ſuo vigore conſiſtat, nec remittatur, dicebat Gal.eodem commen. & tex. totum corpus inſigni aliqua euacuatione indigere; ſanguinis miſsione, vel purgatione. Quæ cum intelligat Aſsiſtens, à fotuum adminiſtratione ad ea præſidia recurrat, & in inflammationis initio, etiam ſi communes fuerint adminiſtratæ euacuationes, fotus, qui loco dolenti adhibentur, ſiue ſicci, ſiue humidi ſint, exiguam habeant actu caliditatem. vix enim fieri poteſt, vt, ſtatim ſanguine euacuato, humorum ad partem affectam confluxus firmetur: namq; calidi eſt, attrahere; & calor calori additus, non poteſt non niſi magnum excitare incendium. firmato humorũ confluxu, cum ex eodem Gal. 2. acut.t.1. fomenta calida cutim ipſam ad tranſpirandum rariorem reddant, & humores digerere, & in halitum conuertere conſueuerint, Aſsiſtens tuto, & continuo, modo cum ſpongiis in decoctione florum camomillæ, melliloti, aneti, radicis alteæ, ſeminis lini, fenu Græci, in duabus partibus aquæ, & vna olei decoctis, infuſis, loco doloris adhibitis, modo veſica oleo camomelino, anetino plena, & in aqua calenti excalefacta impoſita, modo ſacculo ex furfure, milio, ſale, cumino, in ſartagine excalefactis pleno, parti applicito, modo emplaſtro ex furfure, ſale, butyro, aut pinguedine vrſi, gallinæ, anatis confecto, cum lana ſuccida inuoluto, & dolorem tollere, & humores in ea parte imbibitos, & infartos reſoluere, in halitumque conuertere, aut, vt per ſputum educantur, attenuare ſtudebit. Verum tamdiu tum ſpongia, tum veſica loco contineantur, quouſque incipiant actualem caliditatem deperdere, & iterum in ſupraſcripta decoctione calenti infuſa loco doloris reponatur, ſi humidus ſit affectus; & multa ab initio procedant ſputa, ſacculi his medicamentis pleni conuenient magis. At, ſi ægri difficile ſpuant, numquam ab humidis fotibus, emplaſtriſque deficiamus. Sputi etiam naturam, copiamque Aſsiſtens contempletur, eaque in vaſe perpolito conſeruet, Medicoque eius ægri curam gerenti oſtendat. is enim, eorum natura perſpecta, opportuna inſtituet præſidia: ſi ſputa tenuia, & aquoſa nimis ſint, qualia ab initio eſſe ſolent, cum lambentibus, & potionibus incraſſentur, humorumque a capite fluxus inhibeatur. id præſtabit Aſsiſtens cum ſyrupo violato, iniubino, de liquiritia, de papauere, tam lambendo, quam ſorbendo. conficiuntur etiam elegmata ex iiſdem ſyrupiis penidiis, diacodione;

Q loc

loc de farfara, polyçreſtis; & ad incidendũ exiguo oxymelite ex iiſdẽ trociſci in rotulis inſtituũtur. Si vero humores craſsi ſint, & ita in tunicis infixi, vt difficile per ſputum educi poſsint, ad incidentia, & abſtergentia deueniemus. Verum, donec febris aliquantulum remiſerit, temperatis ſolum vtamur, & ad id ſyrupum de hyſſopo, de liquiritia, de praſsio, capillorum veneris, trociſci de farfara, loc de pulmone vulpis, de pino, oxymel ſimplex, ſquilliticum proponuntur. quæ quidem, cum morbus in longum protrahitur, ſæpe erunt immutanda, dummodo eiuſdem ſint facultatis, & naturæ. Etenim, ſi eodem ſemper vtamur remedio, etiam ad id accommodato, tantam tamen cum natura familiaritatem contrahit, vt ea, quæ nos exoptamus, minime præſtet iuuamenta; & propterea à Medicis plurima tum ſimplicia, tum compoſita medicamenta in omnibus fere affectibus præſcribuntur, vt alternatim modo his, modo illis vtamur. Si quidquam enim à ſæuiſsimo pleuritidis affectu ægros valet liberare, vna profecto Aſsiſtentium, miniſtrorumque aſsidua cura tantum poterit, vt ea ceteris omnibus ſit anteponenda. Nam, firmato iam morbo, reiectis, ac repulſis omnibus, quæ ad eam partem confluebant, humoribus, aſsiduus fotuum, lambentiumque medicamentorum vſus, incidendo, reſoluendo, per ſputum euacuando, breui ab omni noxa, & detrimento ægros vindicabunt. Neque in pleuritide vrina, aliaq. excrementa contemnantur. quamuis enim morbus hic ad ſalutem tendens, vt plurimum per ſputum iudicetur; præſtantiſsimi tamen Medicorum litteris mandarunt, aliquando, tum per inferiorem ventrem, aliquando per vrinam fuiſſe perſanatum; propterea, & ſi vrina pectoris affectus minime demonſtrat, tamen, tum ob rationem allatam, tum quia febres inflammationes omnes ſubſequuntur, & hæ humoribus in uenis contentis ſuam communicent prauitatem, ex vrinarum contemplatione aliquando nobis morbi magnitudo patefiet. Aluis etiam excrementa, ſi vel viſcidi humores cum his admiſceantur, pleuritidem per inferiorem ventrem perſanari demonſtrabunt. Illud tamen in pectoris affectibus accidit incommodi, aluum aliquando nimis reddi fluidã; quæ ideo a Medicis damnatur, quia & partes naturales debilitatas, & deprauatos in toto corpore redundare humores ſignificant; tum quia ex diarrhea os exſiccatur, ſputum retinetur, retentum in pus conuertitur, ex quo pleuritis in empiema deriuatur. Tranſacta ſeptima, ſi, ceteris remediis adhibitis, adhuc dolor perperſeueret, nonnulli cucurbitulam loco affecto affigendam eſſe ſuadent, alij panem in duas partes diuiſum, excalefactum, &

theriaca delinitum, parti dolenti imponunt. Verum, in cucurbitula, & theriaca doloris loco imponenda corpus omni ſuperuacaneo, excrementicioque humore ſit immune. & antequam quam ad hæc accedamus, cetera omnia prius experiamur. Victus in pleuritide ſorbendus parabitur, ac ptiſana ipſa hordeacea, poſt ſanguinis miſsionem, & medicamenti, & alimenti cum obtinebit. primis enim diebus ſola ptiſana propinetur: uim vero per ſputum humores educi, & concoqui cœperint, cibo paullo pleniori vtendum erit; &, ſi affectus ipſe tenuiorem requirere fortaſſe videtur, quia tamen pluribus ad materiam in pectore contentam viribus egemus, pleniorem victum ad ipſas virtutes manutenendas inſtituemus. pro potu aqua hordei, in qua parum zacchari in fine ebullitionis, ſit diſſolutum, ſeu aqua, in qua liquiritia, iuiubæ, paſſulæ, hordeum ſint concocta, detracta naturali frigitate, primis diebus æger vtatur; poſtmodum aqua mulſa ſummopere laudatur: ex qua etiam ne os exſiccetur, & prodeat facilius ſputum, parum pro vice aſſumatur. nihil enim vtilius ad ſputa proliciencla, quam os continuo humidum continere. A vino vero, antequam ſpes certa ſalutis nobis fuerit præmonſtrata, febriſq. deſierit, & ſputa liberius procedant, omnino abſtinebimus. ſin autem vtendum erit, dulce, album eligatur. id & caput minime tentabit, & ſuccos in pectore contentos facilius propellet.

De Aſsiſtentis Officio in pulmonum inflammatione. Cap. XI.

INflammatio, quæ in membranis coſtas ſubcingentibus procreatur, ita facile ipſis pulmonibus communicatur, vt nulla fere pleuritis reperiatur, quin & pulmones ipſi afficiantur. Viginti fere homines in Hoſpitio Sancti Spiritus ex pleuritide mortuos ſecui, in quibus ſemper pulmones vna cum membrana reperi inflammatos, atque corruptos. Diſtinguunt autem pulmonum inflammationem à pleuritide; quod dolor non ita acerbus, & in medio pectore, & maior adſit reſpirandi neceſsitas, malæ rubeant, tuſsis grauior, &, quod ſpuitur, ſpumoſum ſit, &, vt plurimum, aliis ſuccedat affectibus; eadem erit, ac in pleuritide, ab Aſsiſtente adhibenda cura: fotus autem, & epithemata, quæ ad dolorem leniendum, facilius reſpirandum, ſpuendumque adhibentur, ea ſecum habeant admixta, quæ magis ad intima pe-

netrent: in ſputo etiam ciendo frequentiores ſimus. Nam, ſi ſputum in pulmonibus diutius retineatur, & in pus conuertetur: & vlcus excitabit, & periuplemonia in phthiſim commutabitur. Quod ſi vel anginam, vel grauem tuſsim, deſtillationemque à capite, pulmonum inflammatio ſubſequatur, & in morbis ſuperioribus maxima illa præceſſerint remedia, vireſq. iam fuerint imbecilles, nullam aliam euacuationem tentabimus.

De Aſsiſtentis Officio in Tuſsi.
Cap. XII.

TVſsis, quæ eſt motus ipſius thoracis ad id, quod ſibi nocuum eſt, expellendum, cum & pleuritidi, & omnibus fere pectoris ægritudinibus communis ſit, & ex hepatis, lieniſque aliquando tumore, & inflammatione, nonnumquam a lumbricis, aliquando ex humoribus ad aſperam arteriam, & theoracem delabentibus, & ipſis pulmonibus impactis, excitetur, ipſius cauſſa ante omnem curationem erit omnino præcognoſcenda, quæ à lumbricis, hepatis, aut lienis inflammatione, aut aliis deorſum ſurſum erumpentibus tuſsis procreatur, horum ablatione ſanabitur. ſi vero continuo à capite in pectus materia flat, primo humorum defluxum corrigamus; poſtmodum, ad eorum, quæ in ipſo pectore reſident, concoctionem, & demum euacuationem, deueniemus. id fotibus, potionibus, elegmatibus, debita, præſcriptaque ſuperius viuendi ratione, præſtabimus. Tuſsiens autem nullo alio ſymptomate correptus, à vino, acribus tum cibis, tum medicamentis, odoribus, ventis, inſolationibus, nocturnis itineribus, pluuiis, nimia corporis agitatione, ciborum repletione, ſuperuacanea alui euacuatione, ſtudiis, animi perturbationibus, longa oratione prohibeatur. quo enim magis tuſsis excitatur, eo maior humorum copia in pectus deſcendit. ideo, antequam ad ipſius tuſsis curationem accedamus, materiam, quæ continuo à capite in pectus demandatur, vel alio deriuabimus, vel, ſi tenuis, incraſſabimus; totaque curationis ratio in eo verſabitur, vt humorum ad pectus confluxum accommodatis euacuationibus, reuulſionibus, deriuationibus inhibeamus. Senes autem, qui, vt plurimum, grauibus deſtillationibus, tuſsibus corripiuntur, & eos hæc, & raucedines vſque ad mortem concomitentur, ſumma diligentia ſunt, & cura, tractãdi. Nam, cum natura ſit morborũ medicatrix, & ſenes ob innati caloris imbecillita

tē humorū profluuia facile recipiāt,difficiliusve expellant,oleum, & operam Medici, & Aſsiſtentes in horum curatione perdent. non propterea ægri ſine præſidijs relinquendi, ſed leuibus elegmatibus, vt butyro recenti cum zaccharo ſæpe lambendo aſſumpto, aqua mulſa, melle,vino dulci,& albo,cibis facilis concoctionis, & deſcenſus,ad extremum vitæ ſpiritum regantur.

De Aſsiſtentis Officio in Aſma.
Cap. XIII.

ASma, quæ à craſſa, viſcidaq. pituita in bronchijs pulmonis incluſa,exoritur,eamque difficilis anhelitus concomitatur hiemis tempore,ſenes,& eos, qui metalla pertractant, maxime corripere ſolet.Hoc affectu detenti in ſuperiori domus cubiculo,lucido, calido,mollibus ſtragulis,capite,thoraceq. eleuato,præſertim cum dormiunt,collocentur. omnibus,quæ in tuſsi inhibui, eſt aſmaticis etiam interdicendum. allium præterea, cepa, caro bubula, ouilla, ſuina,& omnia flatuoſa,vehemens clamor, ira prohibeatur. primis diebus parce viuant, aluus vel molli clyſtere, vel prunis cum zaccharo decoctis, prima menſa aſſumptis, leniatur. fluxu humorum compreſſo, ad eos,qui in pectore continentur, incidendos, abſtergendosque,deueniemus. tranſactis primis diebus,tota medendi ratio in humorum conſumptione verſabitur. Quare decoctum ligni guaiaci,ſalſæ pariliæ,ſiue in puluere,cui parum agarici,& foliorum ſenæ admiſceatur, aſſumptū, aer maritimus, nauigatio, canteria brachijs,occipiti,aut iuxta commiſſuras inuſta,omnia denique moderate calefacientia, & exſiccantia, aſmaticis prodeſſe conſueuere. neque in initio communia illa præſidia omittantur, quæ pro morbi natura, anni tempore, ægri ætate, virium robore inſtituantur: poſtmodum ad eos humores,qui in pectore continentur, incidendos,attenuandos,concoquendosque, accedemus: id per fotus, epithemata,emplaſtra,pectori applicita, & per ea, quæ lambendo, ſorbendoque aſſumuntur, facile præſtabimus. inter cetera, quæ aſmaticis prodeſſe creduntur, paratur ſyrapium, ex ſucco radicum enulæ,hyſſopo,melle crudo, aquis vngulæ caballinæ, ſcabioſæ. Ab Oribaſio proponitur ius galli veteris hac ratione paratum.Accipitur gallus rufus valde ſenex, qui, extractis viſceribus, ſale, aneto, butyro, porro impletur. poteſt etiam addi polypodium,ſemen cartami, anetum, thymum, ſatureia, hyſſopum. lento igne decoquatur, cui poſtmodum, vel mel, vel zaccharum additur. laudatur

præte-

præterea mel ſcylliticum, & per ſe, & cum decocto pectorali, mithridatum, theriaca.

De Aſsiſtentis Officio in ſputo ſanguinis. Cap. XIV.

EX vehementi tuſsi, magnis conatibus, ſaltationibus, graui onere pectori impoſito, ingenti clamore, conatu, aut acri, & ſubita materia à capite in pectus deſcendente, vena abſcinditur, corroditur, aperitur, aut, ob tunicarum raritatem, tenuitatemque, ex ijs ſanguis reſudat, & per ſputum eijcitur; etſi ſanguinem ſupra ferri ex Hipocrate ſemper malum. quo tamen grauior, & periculoſior eſt affectus, eo maioribus præſidijs, & Medicorum, Aſsiſtentiumque induſtria indigemus. Sanguis, qui cum tuſsi eructatur, ſiue à pulmonibus, qui flauus, tenuis, ſpumoſusque eſt; ſiue ex thoracis venis, qui niger, grumoſus, fetidus, cum aliquo dolore emanauerit; aut à capite in pectus deſcenderit; poſtmodum per ſputum euacuetur, ſemper aut mortis, aut grauioris morbi periculum minabitur. Sanguinem ſpuentes, loco temperato, nec valde lucido, in quo nec fumus, nec flatus ſpirent, collocentur. Ijs inedia, ſilentium, leuis ſpiratio, vini abſtinentia, animi, corporisque quies imperanda: & præcipue affectus cauſa cognoſcenda. nam, ſi ex vehementibus conatibus, clamore, cantu, vena fuerit diſrupta, ea, quæ ſanguinem incraſſent, adſtringant, & agglutinent, adhibebimus. Si vena ex tuſsi, vel aperta, vel abſciſſa fuerit, prima, & potiſsima cura erit, tuſsim lenire, ac tollere. At, ſi ex humoribus acribus, aut ſalitis, à capite in pectus confluentibus, vena corradatur, humorum acrimoniā retundere, ad æquitatem traducere, aut alio, ne in pectus deſcendant, diuertere, vel penitus euacuare debemus. Ex quacumque cauſa, ſanguinis ſputum ortum habeat; principio humorum copia imminuatur. Verum, maioribus diſruptis venis, florentis ſanguinis tantum ſpuitur, vt ex eo vires maxime proſternantur. Si reuulſionis ergo ſanguinis miſsio ſit facienda, ea in plures vices partiatur; ita, vt, prima vice, vncia vna, vel altera, ſecunda tantundem extrahatur, donec copiam imminutam fuiſſe conijciamus. ſecetur autē interna brachij vena, anguſto vulnere, vt ſubtilior, & calidior ſanguis euacuetur à cucurbitularum hypocondrijs applicatione, à fortibus vinculis cruribus, & brachijs, à continuis frictionibus, donec ſanguinis fluor fuerit compreſſus minime deſiſtamus. Sanguine firmato, in eius, qui in thoracis ſpatio, vel in ipſis pulmonibus remanſit,

ſit, ne putreſcat, & in pus conuertatur, euacuationem, incumbemus. propterea in ſanguinis ſputo, cum duo inter ſeſe contrarij inſurgant affectus, difficilior redditur curatio. vena enim, ſiue abſciſſa, aut aperta, aut corroſa ſit, coniungi, agglutinari, claudi, ſanguinem incraſſari expoſtulat. id, non niſi prohibita ſanguinis acrimonia, vel tuſſi, & adſtringentibus medicamentis, obtinebimus. Sanguis vero, qui in pectore, aut in ipſis pulmonibus, continetur, non niſi aperientibus, abſtergentibus, ac ipſius naturæ motu, quæ tuſsis eſt, educi poterit. & ideo in huiuſmodi affectibus, ex ipſius Gal. præcepto, eius, quod negotium maius faceſsit, & in vitæ diſcrimen inducit, altero non neglecto, primo curationem aggrediemur. Et, quoniam in initio ſanguinis fluor vehementius vrget, primo ſanguinem ſiſtamus: ſed ſemper à vehementioribus adſtringentibus cauebimus. ad huius vſum diadragantum cum bolo armeno, terra ſigillata, trociſci de charabe, ſyrupum de roſis ſiccis, myrtinum, de ribes, cum aquis portulacæ, plãtaginis proponuntur. ſæpe in ore habere portulacam, & eius ſuccum lambendo deglutire, zaccharũ roſaceum, & ante cibum, & hora ſomni cum aqua ſcabioſæ aſſumere; diacodione ſine ſpeciebus, diadraganto cum bolo armeno ſæpe vti; ad ſanguinem firmandum ſummopere profuit. In cibis etiam, quæ leuiter adſtringunt, commiſcentur. huiuſmodi ſunt pulueres ex bolo armeno, cornu cerui, terra ſigillata, thuris, maſticis myrrha. Victus humidus, & frigidus ſanguinem ſpuentibus præſcribi ſolet: qualis eſt ptiſana ex hordeo torrefacto in aqua pluuiali, ſeu cholibeata decocto; & panis infuſus, ſeu intritus in iure pedum vituli, agni, pullorum, in quo & plantago, & portulaca fuerint incoctæ. ſin autem de ægri viribus vereamur, ad hunc victum addemus expreſsiones ex carnibus perdicum, turturum: quarum ventres, portulaca, acetoſa plantagine, alijsque rebus adſtringentibus infarciãtur. pro potu aqua hordei torrefacti cholibeata, in qua non nihil maſticis, aut thuris ſit diſſolutum cum vino granatorum; vti poterimus. Obfirmato ſanguinis fluore, cum ſanguinem in pectore detentum euacuare velimus, ratio victus ita erit immutanda, vt ab omnibus adſtringentibus, refrigerantibusque abſtineamus; & ad eam, quæ in pleuritide, tuſsi, & aſmate fuit præſcripta, reuertamur.

De Officio Aſsiſtentis in phthiſi.
Cap. XV.

A Sanguinis ſputo puris ſputum dicebat Hip. malum. retento enim extra venas ſanguine, vel in ambitu pectoris, vel in ipſis pulmonibus, niſi is ſtatim per ſputum educatur, & pus fieri, & ex pure pulmones exulcerari neceſſe erit: vlcere vero in ipſis pulmonibus exorto, phthiſis ſequitur. etſi alijs de cauſis, vt acribus humoribus in pulmones emiſsis, ex vulnere, vlcus infigi ſolet, ſanguinis tamen ſputo phthiſis, vt plurimum ſuccedit. Vlcus vero pulmones contraxiſſe plurima ſigna demõſtrabunt. ſi enim poſt puris ſputum ex Hip. & Gal. 6. Aphor. 2. totius corporis languor, & extenuatio ſubſequatur, curuentur vngues, oculi appareant concaui, & tota illa Hipocratica facies primo progno. ſeſe cum leui febricula demonſtret, iam, ægrum tabidum eſſe, ſignificabitur. cum vero ad id deuentum erit, & alui profluuium ſuperueniat, iam proxima mors erit. & ideo, inſpecto pure, ſtatim apportunis remedijs præſto ſimus, & vlcus abſtergere, exſiccare, & agglutinare quamprimum oportet, & vires, ne corpus extenuetur, corroborare. ad hunc vero affectum perſanandum tam ratione cibi, quam medicamenti, lac caprillum ſummopere commendatur. Verùm, antequam ad eius exhibitionem deueniamus, hæc primo contemplabimur: num adhuc à capite in pectus fluant humores, an caput doleat, an debile ſit, an febris intenſa, & denique an facile lac in ventriculo corrumpatur. hæc ſi ſubſint, à lacte erit omnino abſtinendum. lac enim ex Hip. capite dolenti malum. Vt autem ab huius præſidij noxa tutiores reddamur, primis diebus ex ipſa capræ mamma ad vnc. iij. tãtum lactis exſuggat, & ſtatim non nihil mellis roſacei deglutiat; ſi id fieri non poſsit, ex ipſa mamma ſtatim emunctum, & cum eo parum mellis admixtum per quinque horas ante cibum ebibat; & eo vſque lactis copia in dies augeatur, quo vſque ex eo ventriculum graui pondere affici, aut acidos ructus emitti percipiat. hoc præſidio quadraginta diebus vtatur. quo abſoluto, aliiſque remedijs, quæ abſtergant, & exſiccent, adhibitis, æger tamen continuo contabeſcat, nulla ſpes ſalutis ſupererit.

De Aſſiſtentis Officio in tremore cordis. Cap. XVI.

SI Galeno credimus lib.de palpit. & de cauſsis;ſymp.cordis,alio rumque membrorum palpitationes, parte aliqua refrigerata, fieri, neceſſe eſt. cuius ſucci in flatus conuerſi, atque in parte palpitante concluſi, dum exitum ſibi quærunt, vehementes illos, ac turbulentos motus cient. & , ſi cordis palpitatio, ex obſcuris, nebuloſiſque vaporibus,ab inferioribus partibus ad ipſum cor eleuatis, eoque ipſos propellere,& longe à ſe continere volente,vt plurimum oritur;nonnulli,ex nimio in pericardio humore, aut in pulmonum bronchijs retento exiſtimant, cordi huiuſmodi malum aduenire. Verum cordis palpitatione, ex quacumq. cauſſa, correpti, vt à Gal.1. de locis proditum eſt,raro quinquageſimum annum pertingunt;qui aut ſubita morte corripiuntur,aut in paralyſim, & hydropem incidunt. à quibus iniurijs,& calamitatibus Gal. eodem loco victu attenuanti, & ſanguinis miſsione cordis tremore affectos adiutos fuiſſe, litteris conſignauit. Cum autem vt plurimum ſpiritus iſti atri, & obſcuri ex ſiniſtro hypocondrio, aut in mulieribus ex vtero eleuentur, ſectio baſilicæ ſiniſtræ; &, ſi ab vtero, ſaphenæ interioris eiuſdem lateris conuenire videtur. Aſsiſtentis autem munus in hoc affectu erit, ægros hoc ſymptomate correptos frictionibus,ligaturis, ſuauibusq. odoribus excitare; &, ne iterum reuertatur acceſsio, debitam viuendi rationem, humorum, vnde fetidi illi ſpiritus inſurgunt, euacuationem,ipſiusq. cordis corroborationē, moliri. quicumque enim error ab ijs, qui cordis tremorem patiuntur, in victus ratione, aut nimio vini, ſiue aquæ potu, aut in rebus alijs non naturalibus, committatur, cordis tremorem reuocabit. propterea cibus boni chimi, & facilis ſit concoctionis, eaque ſemper tum cibis,tum potibus admiſceantur, quæ & cordi vires addere, & ſanguinem ab humore melancholico expurgare, & flatus diſcutere,valeant: reijcianturque omnia,quæ humores atros gignāt, & augeant.In ijs,loci mutatio,ſuaues cantus, cum hominibus,quorum familiaritate recreatur,diuturna conſuetudo,rerum,quæ ſuauem efflant odorem, perpetuus vſus, dummodo caput non patiatur, maxime conuenient. Ius autem veteris galli, cuius venter boragine,floribus cordialibus,gallia muſcata,cinnamomo,garyophyllis ligno aloes,citro, aqua roſacea perfuſis impleatur;&,ſi aluū ſoluere,& atros humores expurgare velimus, epithymum ſena orien-

talis folia, poylpodium additur, palpitatione correptis, ſi ex vſu fuerit, ſummam pariet vtilitatem. Hoc, ſi humores præparare, parteſque debilitatas confirmare, cupiat Aſsiſtens, ieiuno ventriculo per plures dies quattuor horis ante cibum exhibeat: quarto autem quoque die humores iam expulſioni paratos per idem iuſculum, in quo folia illa ſenæ, epithymum, & polypodium ebullierint, euacuabit. In potu vero vino vtatur tenui, albo, & odorato, aquis cordialibus diluto, aut in qua aurum ſæpe fuerit exſtinctum, aut vnicornis maduerit: ſacculi præterea ex iiſdem medicamentis, & aromatibus confecti, cordis, ventriculique regioni applicentur; &, dum acceſsione corripiuntur, epithemata cordialia cordi, teſtibus, manuum, pedumque pulſibus inſtituantur: poſtea oleo de corticibus citri cordis regio foueatur. ad hanc etiam affectionem conferre creduntur, theriaca, confectio alchermes, de gemmis, trociſci ex zacchato, & margaritis parati, ad flatus diſcutiendos, dianiſum, diaciminum.

De Aſsiſtentis Officio in affectu Ventriculi. Cap. XVII.

INter ventriculi affectus, qui Aſsiſtentis curam expoſtulare videtur, paſsio illa quæ choléra à Medicis dici ſolet, ventriculi imbecillitas, dolor, & inflammatio, numerantur. Choléra nonnumquã ita grauia, atque acerba ſecum ducit accidentia, vt magnum ægris, & Aſsiſtentibus incutiat vitæ timorem. nam continuis vomitibus, & alui deiectionibus, ita vires proſternit, ac debilitat, vt ſæpe animi deliquium, aliquando conuulſionem inducat: quæ cum ex nimia euacuatione oriatur, ſtatim ægros e medio tollit. Duplex ab Hip. & Gal. 4. de ratione victus huius morbi cauſſa in medium affertur: nimia acrium, frigidorumque humorum corruptela, & flatuum multitudo. ſi ex humorum corruptione affectio proficiſcatur, & uires ſint ferendo, & humores commixti ſint, aqua calida cum cumino vomitus eliciatur: hæc enim potio non ſolum ſeſe materiæ putridæ commiſcebit, & eorum prauitatem, acrimoniamque retundet, ſed, virtutem ipſius ventriculi expulſiuam irritans, per vomitum facilius nocuos humores propellet, grauiſsimosque ipſius ventriculi afflatu dolores compeſcet. Verum, qua poſſumus arte, ſtatim vomitum componamus, humorumque corruptorum impetum ad ipſa inferiora detrudamus. Sed, ſi inanis tantum vomendi voluntas adſit, ex quo humores in ipſius ventriculi tunicis imbibitos eſſe ſignificatur, vel multos adeſſe ſpiritus, qui ex cruda materia eleuati ventriculum extendentes, &

nauſeam,

nauſeam, inaneque vomendi deſiderium, & dolores pariant acerbiſsimos; tunc ad ea, quæ prius incidant, & attennent, deueniemus; poſtmodum aqua calida, cum oleo amygdalarum admixta, prouocabimus. qui niſi ſubſequatur, illius olei virtute in inferiorem ventrem humores demandantur: poſt vomitum, ſi æger duo cochlearia ſyrupi de menta aſſumat, etiam in cauſſa calida ſummum afferet iuuamentum. Illud præterea ab Aſsiſtente in cholerica paſsione animaduertatur, ne, cum affectum hunc ab acribus, calidisque humoribus proficiſci intelligat, infrigidantia, quæ ad hos humores adæquandos exhibet, plurima vnica vice propinentur. nam ex ijs ventriculi concoctrix maxime lædetur. Accipiatur itaque ex infrigidantibus parum pro vice. hac enim ratione, & humores ad æquitatem reuocabuntur, & virtus ipſius ventriculi ab omni offenſione vindicabitur. poſt multos & per inferiorem ventrem, & per vomitum euacuatos humores, ſtomatica medicamenta, quæ adſtringant, corroborent, & vomitum cohibeant, Aſsiſtens exhibeat. ad hunc vſum, & granatorum, & mentæ ſucci depurati; aut per ſe, vel cum aqua meliſſæ, & acetoſæ, aut iuſculis medicatis exhibiti, vomitum firmare conſueuerunt. Quod ſi his, alijsque præſtitis remedijs adhuc vomitus perſeueret, cucurbitam magnam ipſi ventri affiget; dumq. affixa eſt, ægro cibus ſine aliquo potu exhibeatur. hunc vero cucurbitulæ vſum ſæpe Aſsiſtens repetat; eamque tamdiu ipſius ventriculi regioni affixam contineat, donec alimentum in eo retineatur, concoquatur, & ad nutriendum diſtribuatur. id ex Gal. ſub fine lib. de facile parabilibus accepimus. Regio vero ventriculi oleo maſticino, citoniorum, de ſpica, de abſynthio inungi poteſt. applicari præterea emplaſtrum de cruſta panis, affigi ceratum maſticinum, drapaciſmum, etiam aſsidue vomentibus ex quattuor picis partibus, & vna olei citoniorum ſimul liquatis, & in aluta extenſis, regioni ventriculi applicatum, ſingulare eſſe remedium, complures Medici teſtatum reliquerunt. Vulgares mulieres eboris tabellam excalefactam ventri ad vomitum comprimendum admouent. cinis præterea excalefactus, & vino auſtero perſperſus, vbi dolor etiam vrget, vehementes vomitus cohibuit. Cum autem æger cibum aſſumet, primum fruſtum panis parum torrefactum, in aqua roſacea infuſum, deinde vino granatorum, aut ſucco limonis perſperſum, cum exiguo zacchari exhibeatur: carnes ſint, aut pullorum, aut coturnicum, in quibus baccæ rubi, cinnamomum infixa ſint, & aqua roſacea, aut vino adſtringenti, & odorato inſperſæ, dum aſſantur, vel nihil, vel exiguo bibat. id autem ſit aut

vinum granatorum, aut aliquod ex auſteris, & adſtringentibus, motu omni interdicatur. ægri animum ex vehementibus curis, moleſtijsque confractum, atque deiectum ſtudeat Aſsiſtens erigere, & confirmare, ita, vt, euacuatis ſuperuacaneis humoribus, ea accidentia deſiſtant, & priſtinam æger ſanitatem recuperet. Vincula in inferioribus partibus, ligaturæ, ſpatulis cucurbitulæ adhibitæ, ſolent aliquantulum in hac ægritudine conferre.

Non minus ſuperior affectio, ac continuus ſingultus, ægros deterret: qui ſi acutis febribus, inteſtinorum, hepatis, ventriculi inflammationibus nimiæ euacuationi ſuccedat, quidquid pro eius curatione adhibeatur, ſuperuacaneum eſſe cenſetur. in his enim ſingultus certum interitum prænuntiat. Conuulſio quædam ipſius oris ventriculi ſingultus eſſe exiſtimatur. &, cùm ſuperius conuulſionem ex inanitione, ſiccitateque productam curationem vix admittere dixerimus, in præſenti officium Aſsiſtentis in ſingultu, qui curari poteſt, explicabimus. hunc vel ex acribus humoribus, in ipſius ventriculi tunicis impactis, & ori ventriculi communicatis, vel ex eorundem per vomitum euacuatione, qui, dum per eſofagum pertranſierint, in ipſo ventriculi ore ſuæ prauitatis veſtigia reliquerunt, vel ex medicamentorum, aut ciborum caliditate, aut putredine, aut ipſius ventriculi perfrigeratione, veteres auctores exoriri confirmarunt. ſingultus, quem ex prauis, corruptisque humoribus ortum duxiſſe compertum eſt, antequam curetur, ij prius, ſi expulſioni, vel ob nimiam eorum craſsitiem, vel quod in ipſo ventriculo imbibiti ſint, inepti eſſe videantur, incidendo, attenuando, & ex ipſis tunicis euellendo, ad expulſionem idonei, aptique reddantur. poſt modum per infernam potius aluum, quam per vomitum, ne materia trahatur ad locum affectum, leui medicamento euacuentur: denique ad eam vim, quæ ipſi ventriculo impreſſa eſt, tollendam, partemq. ægram corroborandam accedamus. Si vero ex deprauata medicamentorum, aut ciborum facultate quis ſingultiat, imbibito prius calido iuſculo, aut oleo amygdalino, ad eorum acrimoniam tollendam oxymel ſimplex, aut acetoſum ſimplex, in quibus coma abſynthij infuſa fuerit, lambendo ſæpe aſſumatur. ſi vero ex nimia frigiditate, vt in pueris vſu venit, & hęc, & mel, cui parum cumini, aniſorum, caſtorei admixtum ſit, lambendo aſſumpta, & fotus tum regioni ventriculi, tum circa duodecimam vertebram adhibiti, huic malo præſto eſſe ſolent. aqua vitæ cum aneto, & cinnamomo ebibita, à flatu præſertim, vt nonnulli volunt, ſingultum ſedat. ſemen etiam aneti ſæpe olfactum idem creditur præſtare: in leui ſingultu, aqua mulſa parum pro

uice quaſi lambendo propinata. nonnullos, aliquo ſibi præter exſpectationem nũtio ex improuiſo allato, ſingultu fertur fuiſſe liberatos. leuem denique ſingultum abſque manifeſta cauſſa obortum aqua frigida ore detenta, & parum pro vice deglutita, aut vehemens corporis concuſsio perſanauit. Sed, ſi diutius affectio perduret, nec medicamentis cedat tunc reuulſionibus, ligaturis, cucurbitulis, frictionibus, circa duodecimam vertebram, & regioni ventriculi, ſternutatoriis, magnis clamoribus, violento motu vti poterimus. Ventriculi autem dolor, niſi medicamentis, & fotibus inſtitutis leniatur, ætate, & viribus ferentibus, ſanguis, ſi febris præſertim ſuperuenerit, ex baſilica mittatur. Sed aliquando ita ventriculus debilitatur, vt neque appetat, & in cibis conficiendis, concoquendiſq. maxime elaboret: quod ex nimia caliditate, frigiditate, humiditate, ſiccitate, aut his cum materia commixtis, proficiſcitur. Verum, vt plurimum, vel ex longa ægritudine, vel ex continua, & inordinata ciborum aſſumptione, aut ex largo frigidæ potu, aut perpetuo humorum ad ventriculum ex capite delapſu, ventriculus redditur imbecillus. ſi à nimia ſiccitate, vt quaſi in ethicam inciderit, Gal. 7. Met. lactis potum ſummopere laudat: quæ autem ad lactis exhibitionẽ requiruntur, cap. de ethica, & phthiſi fuſius pertractauimus. ſi à capite in ventriculum fluat humores, fluxus hic, variis deriuationibus, & capitis cura, ne in poſterum hos progignat, facile prohibebitur. At, in ipſo ventriculo cauſſa debilitatis exiſtente, non poterit is corroborari, viresque reſumere, niſi ea penitus tollatur. humores craſſos, & in ipſa ventriculi ſubſtantia infartos, optime prius concoctos, & æquatos, leui medicamento, qualis eſt ipſius Galeni hiera, per epicraſim euacuabimus. ad ipſius ventriculi poſtmodum firmitatem, & robur, & iis, quæ intus aſſumuntur, & exterius applicantur, accedemus. Itaq. aſsiduus ſit, circa regionẽ ventriculi, duodecimãq. vertebram fotuũ, & lenimentorũ vſus: huiuſmodi parantur ex abſynthio, mẽta, vel in vino decocta, vel calenti latere, cui vinũ cõſperſum ſit, excalefacta, & ſæpius regioni ventriculi applicita. fouetur deinde, locus oleo de abſynthio, maſticino, nardino, vel ei ceratũ ſtomaticũ Gal. aut maſticinum applicatur. ſed ex localibus præſidiis ad ventriculum firmandum, & corroborandum, nullum ſtillicidio ex oleo maſticino, nardinoque adinueni præſtantius. Quamobrem Aſsiſtens inſtrumenta ad hæc ſtillicidia facienda habeat parata. oleum duobus vaſibus vitreis incluſum in cacabo, calida aqua pleno, excalefiat; vt, dum vnius vaſis oleum per infundibulum in ventriculi regionem infunditur, alterum incaleſcat: inſtrumentum autem

cauatum cum cerato maſticino regioni ventriculi applicetur, ne oleum, quod infunditur, effluat, & ex alto in ventriculum cadens per longum ipſius inſtrumenti ductum in alterum vas decidat. Altitudo vero, vnde olei gutta in ventriculum decidit, ſit duorum, aut trium palmorum. hoc autem ſtillicidium non ſolum regioni ventriculi, ſed etiam circa duodecimam vertebram infundi poteſt, & in fotibus, & ſtillicidiis eius regioni adhibendis Aſsiſtens ſemper in partem ſiniſtram declinet. Etenim, cum pars ventriculi dextra hepatis ala cooperiatur, ſi nimis calidi fotus, aut ſtillicidia in eam partem fiant, excalefiet hepar, & inflammabitur; intus vero ad ventriculi debilitatem tollendam, ſi ea præſertim cum nimia humiditate coniuncta ſit, decoctum ſaxifras. ſummæ ſolet eſſe utilitatis. accipitur vnc. med. huius ligni, in minutas partes inciditur, & in duodecim libris aquæ infunditur per horas vigintiquattuor: fit poſtmodum ebullitio lento igne, ad conſumptionem mediæ partis: huius decocti tantum accipitur, quantum in eo fruſtum pulli incoquatur: de hoc iuſculo vnc. vj. ſummo mane accipitur; reliquo vero decocto vinum diluitur. hac ratione multi curati, ſanitatem fere deſperatam recuperarunt. ad hunc morbum Gal. ſeptimo Met. diatrionpipereon ſummopere commendauit. Alij vinum, in quo infuſum fuerit abſynthium, aut decoctum ipſius abſynthij, ad ventriculi vires augendas ſolent propinare. Verum, vt optime monet Gal. de medicamentorum facultatibus, abſynthium, & omnia adſtringentia, vbi aliqua humiditas in ipſius ventriculi tunicis imbibita fuerit, infeſtiſsima eſſe ſolent. Vt autem in abſynthij vſu tuti ſimus, ſemper cum decocto ipſius mel immiſceatur. maſtix permanſa, & deglutita, ventriculo opem ferre creditur; vola manus, catuli, ſacculi puluere abſynthij, mentæ, maſticis, macis, gariophylorum, roſarum, nucis moſcatæ, cinnamomi, ligni aloes, galliæ muſcatæ pleni, aut ex iiſdem pulueribus cerati appliciti, ſæpe imbecillo ventriculo profuerunt. Qui imbecillitate ventriculi laborant, ſeſe ante cibum exerceant: cibus ſit facilis concoctionis, & boni chimi: copia vero ſit, quæ concoqui poſsit: & ideo, ſi commode prandeant, in cena vel nihil, vel parum aſſumāt. Verum, cum concoctionem in ſomno fieri velint, tutius fortaſſe erit totum cibum in cenam reiicere: conſuetudini tamen erit aliquid condonandum. pro potu vino albo, odorato, aqua cinnamomi diluto, vtatur: nec potus cibum excedat: neque poſt cibum, ſiue aqua, ſiue vinum ſit, quidquam bibatur. ex nimia enim humiditate fluctuabit in ventriculo alimentum, & eius virtus in concoquendo vel defatigabitur, vel ſemicoctos ſuccos derelinquet. Somnus

no-

nocturnus, & ſolito longior, moderata excrementorum euacuatio, nulla venus, vel rara, à nimi æquitas, atq. tranquillitas, & in hieme extremorum caliditas, ipſum ventriculū ſemper confirmarunt.

De Aſsiſtentis Officio in affectibus Hepatis.
Cap. XVIII.

ITa tenues, & anguſtas in ſe hepar continet uenas, vt facili de cauſſa obſtruatur: ex quo tot mala nobis importantur, vt nullus fere morbus ſit, cuius origo, & cauſſa ipſi hepati non adſcribatur. Nam, cum viſcus hoc ſit omnium humorum fons, & origo, ſi vel exiguo a ſuo munere deficiat, & minimus error ab eo in ſuccis elaborandis committatur, toti corpori communicabitur. etenim, cum carnes ex venis, venæ ex ipſo hepate alimentū trahant, ij in toto corpore efflorefcent humores, qui fuerunt in ipſo hepate elaborati: & propterea, ſi in aliquo viſcere male affecto neceſſaria, & opportuna fuit Aſsiſtentis cura, in hepate profecto laborante tanta eſſe debet, vt ceterorum officia antecellat. Hepatis præcipui morbi ſunt inflammatio, & obſtructio: quas innumeri fere ſubſequuntur affectus. nam, & febres quamplurimæ, regius morbus, hydrops, alui fluores ad hepatis morbos referuntur. qui perſanari minime poſſe creduntur, niſi hepar ad ſuam naturalem ſymmetriam, & temperiem reducetur.

Inflammatio itaque hepatis ita acutus cenſetur morbus, vt quāplurimos ante ſeptimum è medio tollat. hæc, quemadmodum in ceteris corporis partibus ex plurimi ſanguinis cōfluxu procreatur, vt eſt videre apud Gal. 10.13. & 14. Met. & lib. de tumorib. præter naturam. cauſſas vero, quæ hepar inflammare poſſunt, hic recenſere, ab inſtituto noſtro alienum eſſe putaui. Cognita ex dolore in hypocondrio dextro, ex ardenti febre, tuſsi ſicca, ſiti intenſa, linguæ ariditate, vrinis craſsis, rubeis, & perturbatis, hepatis inflammatione, Aſsiſtentis proprium erit, ſtatim iniecto clyſtere, baſilicam dextri lateris aperire, tantumque ſanguinis extrahere, quantum & morbi magnitudo, & virium robur expoſtulabit: etſi nonnulli in hoc affectu vſque ad animi deliquium ſanguinem mittendum eſſe ſuadent, ne tamen Aſsiſtentis adſcribatur errori, eam copiam, quam affectus magnitudo requirere videbitur, in plures potius vices partietur. a ſanguinis miſsione ad humores in ipſo hepate efferueſcentes per idoneas potiones, & lenitiones, & fotus contemperandos accedet. Huius generis recenſentur ſyrupum de cicorea,

de ſucco acetoſæ, de endiuia, de acredine citri, oxyzacchara, cum aquis cicorij, endiuię, portulacæ, acetoſæ, pimpinellæ: de his vero, quæ exterius adhibentur, nonnulla inter Arabes, & Græcos videtur eſſe diſſenſio. Arabes vero cum infrigidantibus procedunt. Recipiunt enim ſuccum ſolatri, & cum linteolo, aut ſtuppis canabis hepati inflammato inſtituunt epithemata: Græci vero relaxantibus, quibus aromata, quæ, adſtringendo, roborent, admixta ſint, vtuntur. in hac re Græcis potius adhærerem; caueremq. maxime aliquid actu frigidum regioni hepatis applicare. ex nimio enim infrigidãtium vſu, ita hepar ſæpe refrigeratur, vt proprio calore deſtitutum pro ſanguine aquam progignat, ex qua hydrops, aliique curatu difficiles morbi procreantur. ſuccus enim cicorij, abſynthij, citoniorum, cui aliquid ſquinanti, ſpicæ, aut ſandalorum fuerit admixtum, comparetur; & ex iis modice calidis hepatis regioni epithemata fiant: vrgente vero dolore, triticea farina in decocto abſynthij, aut aneti concocta, & hepati applicita dolorem ſedat. Sed, ſi neque hoc præſidio dolor imminuatur, iterum baſilica eiuſdem lateris aperiatur; &, habita virium ratione, tantum ſanguinis euacuetur, donec dolor plane remiſerit. Si vero durities vna cum inflammatione coniungatur, emollientia cum relaxantibus, & roborantibus, immiſceantur. huius ordinis eſt emplaſtrum de melliloto, dialtea. At, ſi ad abſceſſum tendat inflammatio, quod facile intelligitur, ſi in ipſo morbi vigore, & febris, & dolor augeatur, quamuis exigua ſalutis ſpes relinquatur, cum epithematibus, & emplaſtris illis, ea, quæ maturant, & pus conficiunt, admiſceantur: qualia ſunt radices alteæ, emplaſtrum ex ficubus pinguibus in oleo liliorum alborum decoctis: alij his non nihil armoniaci addunt.

Victus in hoc affectu tenuiſſimus paretur, ſola enim ptiſana, & pane infuſo in aqua endiuiæ, cui ſuccus limonis expreſſus ſit, aut vinum granatorum, vſque ad ſeptimum enutriatur, ſin vero de virium debilitate vereamur, iuſculum conſumptum, in quo ſuccus limonis expreſſus ſit, ad hunc victum addemus. Verum, cum inflammationes, doloresque in paribus diebus augeantur, ſemper in cibo exhibendo horam, diemq. maioris perturbationis caueat Aſsiſtens; &, vt ſuperius ſæpe enarraui, in acutis morbis ægri ſorbitionibus enutriantur. Nam, cum ventriculus alimentum hepati comparet, eidemque ſubiaceat, ſi cibo repleatur, hepar ab inflammatione in tumorem eleuatũ magis attolletur, &, humores ei ſubminiſtrando, inflammationem, & dolorẽ propagabit. Potus ſit aqua hordei, cui vnc. 1. ſyrup. de acredine citri vnc. 2. vini granatorũ ſint admi-

admixtæ. In hepatis inflãmatione nihil copioſiore ſomno,& quiete vtilius. alui excrementa, ſi non ſponte, molli clyſtere educantur. Verum in clyſteribus, fotibuſq. adhibendis, ſumma ſit Aſsiſtentis cura. Nam in nonnullis ita ſupra abdomen extenditur hepar, vt omnia fere cooperiat inteſtina; &, ſi æger, vel prope vmbilicum, vel infra doleat, dolorque inteſtinorum eſſe iudicetur, ſi infuſis, flatus diſcutientibus, & fotibus eandem vim obtinentibus, dolorem lenire ſtudeat Aſsiſtens, antequam communes euacuationes præſtitæ fuerint, cum hepatis inflammatio ſit, materiam ad locum affectum attrahens, inflammationem reddet acerbiorem. Quare in initio, quamcumque partem ex inferioribus dolor occupet, ſi cum febre coniungatur, mollibus clyſteribus, nitioribuſque fotibus, antequam in certam loci cognitionem deneniamus, dolorem ſedabit. Dicebat enim Hipp. Morbum, cum quis non cognouerit, leue medicamentum adhibeto.

Sæpiſsime etiam, vel ex nebuloſis flatibus, vel ex craſsis humoribus hepar obſtruitur. Nam, cum aliquando contingat, vt alimen tum, antequam concoctum ſit, crudum effluat è ventriculo, idq. vel ex nimio motu ſtatim poſt cibum aſſumptum, aut fortibus diureticis extrema menſa adhibitis proficiſcatur; propterea non immerito Montanus in cura morbi Gallici ſummopere eos reprehendit, qui decoctum ligni guaiaci ſine vllo diſcrimine in cibis exhibent. Nam decoctum huiuſmodi, cum vim diureticam obtineat, citius, quam par erit, è ventriculo deſcendet, & ſecum cruda, & ſemicocta attrahet ad hepar alimenta, quæ ſua craſsitie, atque lentore tenuiſsimas hepatis vias obcludent, & obſtruent. Ad has hepatis obſtructiones, in ipſo hypocondrio dextro, grauitas, dolor, nonnumquam febris, fetidus totius corporis color, & malus habi tus conſequitur. ſi vitio ventriculi, aut externis erroribus huiuſmodi ſymptoma oriatur, niſi ij amoueantur, & ventriculi virtus confirmetur, nullo modo hepatis tolletur obſtructio. At, ſi in ipſo hepate nimis ſuo calore humores incraſſante, adurenteque, ſubſit obſtructionis origo, eius caliditatem contemperantes, vna vias obcluſas aperiemus. In omnibus viſcerum obſtructionibus Gale. 12. & 11. Met. ſanguinem mittebat, quo miſſo, & primis viis, ab excrementis expurgatis, ad ipſius hepatis obcluſas vias aperiendas accedemus. Nam, quo diutius perdurat obſtructio eo ingraueſcit morbus, & hepar indureſcit, & ſignificandi virtus debilitatur. In initio, vbi caloris ſigna apparuerint, temperatis vtemur aperientibus. huius generis ſunt oxalis, cicorium, endiuia. in proceſſu temporis ad eorum radices, poſtmodum apium, fenicu-

lum, petroſelinum, ſyrupum de quinque radicibus, biſantinum, de abſynthio, de cicorea, compoſitum, de eupatorio, vſurpabimus. hæc ſæpe ſunt commutanda, ſæpe ab omni aperiente abſtinendum. nam aperientium aſsiduus vſus lædit nonnumquam. Epithemata ex abſynthio, menta, floribus camomelli, aneto, ſeminibus aniſorum, cumini, ad hepatis obſtructiones aperiendas ſummæ erunt vtilitatis. is autem, cui hepar obſtructum eſt, a dulcibus, tum in potu, tum in cibo abſtinebit omnino. ea enim, cum familiaria naturæ maxime ſint, indigeſta, & cruda attrahentur; & propterea omnes fere morbi, qui ab obſtructione originem ducunt, a nimio fere rerum dulcium vſu promanarunt. nam Ictericia a Regibus ideo nomen accepit; quoniam, cum Reges, Principesq. omnia fere alimenta zaccharo, & rebus dulcibus condita aſſumant, continua hepatis obſtructione laborant. Ad id præterea accedit, quod, quemadmodum oleoſa omnia facile ignem recipiunt, ita dulcia in bilem conuertuntur. A lacte, caſeo ſalito, leguminibus omnibus, excepto farre, & orizza, a carnibus bubalina, caprina, & omnibus, quæ craſſum ſuccum procreant, a vino dulci, craſſo, & nouo, ab aquis acidis, craſsis, turbidis, & cœnoſis, in quibus ranæ commorantur, hepate laborans abſtinebit. Illud præ ceteris Aſsiſtens animaduertat, ne æger ſtatim ab aſſumpto cibo ſeſe labori dedat, itineri committat, aut ſtudiis operam nauet. Hilare viuat, is præſertim, cui bilis per totum corpus fuerit diffuſa. Nam ictericorum animus debet eſſe omnibus curis vacuus, ac ſolutus, immo ſplendido conclaui, iucundis ſermonibus laxandus: aperto, ſerenoque cælo ante cibum moderate ſe exerceat: meridionales ventos, regiones, loca, lacubus, marisq. litoribus, vbi præſertim ſtagnant aquæ, vicina, tamquam peſtem abhorreat is, cui hepar facile obſtrui ſolet. in cibo capiendo, multorum ciborum varietas, & præpoſterus ordo, vinum dulce, aut vinoſum poſt reliquos cibos aſſumptum, diureticorum medicamentorũ vſus, multis in ipſo ventriculo crudis ſuccis redundãtibus ipſum hepar cõſtringunt, atq. coarctant. Aſsiſtens itaque non ſolum in cibis aſſumendis, & cibi naturam perſpiciat, & ordinem in capiendo contempletur; ſed etiam, cum aliquid, quod cibi, & medicamenti naturam pollet, exhibebit, an aliqua incommoda ipſi hepati inferre poſsit, animaduertat.

De Aſsiſtentis Officio in Hydrope. Cap. XIX.

TRia Hydropis conſtituuntur genera; quorum vnum a flatibus in ipſo abdomine contentis a tympano Tympanitis nomen accepit. flatus vero, cum ex humoribus craſsis, debiliq. calore procreentur, virtutem concoctricem debilitatam, crudorumque humorum in ipſo ventriculo copiam præmonſtrabunt. quare, in huius morbi curatione, Aſsiſtentis partes eſſe videntur, non ſolum, quæ virtutem concoctricem imbecillam reddunt, craſſosque ſuccos gignunt, prohibere, ſed eos, qui iam procreati ſunt, humores incidere, attenuare, concoquere, & demum expellere; ipſi denique naturali virtuti vires addere. Et ideo, in initio, leui medicamento ſoluta aluo, ad reliquorum humorum cum incidentibus, attenuantibus, quale eſt oxymel ſimplex, ſyrupum de menta, de duabus radicibus, cum aceto, biſantinum, & alia ſuperius enarrata, maturationem moliatur; poſtremo ea, quæ flatus diſcutere, & diſſoluere valent, propinabit. quæ, ſi humores adhuc craſſi in ventre relicti fuerint, ad eos etiam incidendos, attenuandosq. erunt accommodata. Quapropter diacimini, diagalange, aromatici roſati drag. ij. ſummo mane tribus horis ante cibum aſſumptæ; aut decoctum abſynthij, marrubij, ſeu drag. j. trociſci rheubarbari, abſynthij, diacurcumæ, cum aqua meliſſæ, abſynthij, vel vino accepta, huic, omnique hydropi conferre conſueuerunt. Verum, cum Aſcites, quæ aquam ob hepatis, & virtutis naturalis imbecillitatem ex venis meſeraicis inter inteſtina, & abdomen redundantem ſignificat, ſæpiſsime cum ſuperiori morbo ita commiſceatur, vt vnum ab altero difficile dignoſcetur, eadem fere erit vtriuſque ſanatio. In hoc tantum variabitur curatio, quod prima illa affectio flatus diſrumpi, in alitumque conuerti; hæc humiditatem illam in ventre inferiori contentam, aut exſiccari, aut extra per alias partes amandari expoſtulet. Sed, ſi, vt ſæpe vſu venit, hepar obdurnerit, & quaſi ſcyrrum contraxerit, ipſum emplaſtro de melliloto, cerato ex armoniaco bdellio in aceto diſſoluto emolliemus. Hæc, & alia, quæ cum oleo de abſynthio, camomelino, irino, laurino, farinis feni Græci, ſeminis lini, hordei, pinguedinis anatis, vrſi, pulli parantur pro hepate cataplaſmata, ſemper calida applicentur. ſed, ſi diutius in hepatis regione emplaſtra ſint continenda, a maturantibus, qualia ſunt, in quibus

olea, pinguedineſq. ingrediuntur, cauebimus. hæc enim, ſi diu in parte reſideant, ipſum hepar ad abſceſſum adducent. ſunt itaque per horam tantum imponenda, poſtmodum auferenda, deinde iterum applicanda, donec id, quod cupimus, conſequamur. ex longa enim mora ſua humiditate, & calore in parte putredinē pariēt.

Iecore emollito, viiſq. recluſis, medicamēnta, quæ aquam per aluum ducant, exhibebimus. huiuſmodi ſunt pillulæ ex mezereon appellatæ, ſuccus ireos depuratus ad vnc. j. cum vnc. ij. aquæ mulſæ, vnc. j. oxymellitis hydropicorum aquā ſine moleſtia ducit drac. j. pulueris ſaldanellæ cum iure cicerum rubeorum, aquam ex ventre commode euacuabit: cataplaſmata, & cerata toti ventri extenduntur: qualia ſunt emplaſtrum diaphynici, ex lapide peritide, a Paulo ex fimo caprino, in aceto, vel vrina pueri incorrupti diſſoluto, aut ex cochleis: ex his enim modo vnum, modo alterum perpetuo ſupra ventrem contineatur, ſacculi ex furfure, milio, panico, ſulfure excalefacti, ventri imponuntur. Innumera demum a clariſsimis Medicis in medium afferuntur remedia, quæ hydropi præſidio eſſe ſolent. Ad Aſsiſtentem autem ſpectabit, iis certo ordine, & methodo uti, ita, ut ſemper a leuioribus ſumat exordium: corpore vero impuro, aut ſucci pleno, antequam totum fuerit euacuatum, & ab excrementis expurgatū, parti affectæ nihil adhibebimus.

Tertium hydropis genus dicitur, cum totum corpus in tumorem attollitur, & pituita vndiq. perfunditur. in hoc enim, ſi partes digito comprimamus, illius relinquitur veſtigium: cauſſa eadē eſt, virtutis concoctricis imbecillitas, quæ vel ex conſueta, & naturali retenta euacuatione, vel hepatis, lieniſq. duritie, & obſtructione, emanauit. cumq. ab vno, eodemq. fonte hi oriantur morbi, eadem præſto erunt præſidia, quæ, præter præſcripta ſuperius, in hoc affectu, decoctū ligni guaiaci, & ſalſæ perilliæ, cauteria brachiis, cruribuſq. inuſta: ſi demum prope maris litus arida arena totum corpus cooperiatur, humiditatem illam carnibus imbibitam, aſſument, & exſiccabunt. Neq. illud ſilentio prætereundum, in Aſcite, ceteris adhibitis remediis, ſolitos fuiſſe Medicos, vulnere in aliqua parte inflicto, hydropicorū aquam extrahere. Aliqui in ſcroto ſectionē inci piunt: alij ad latera vmbilici in dextra, ſi hepar; in ſiniſtra, ſi lien fuerit morbi cauſa: alij crura pluribus vulnuſculis afficiūt: alij in parte inferiori ipſius vētris: alij prope vertebras mēdoſas hydrope correptos ſecādos eſſe putauerūt. Celſ. lib. 3. c. 21. omnē in hydrope ſectionē maxime dānauit. Sed, ſi ad ſectionē ſit deueniendū, præmonēdi primo sūt amici, ægriq. ꝓpinqui, quāto cū eius periculo id remediū adminiſtretur; deinde, ſi æger iuuenis, vires conſtēt, nec depra-

uatus habitus ſit cõfirmatus,& aqua in ventre nondũ putredinẽ cõ traxerit,virtusq. hepatis non omnino fuerit proſtrata, omnia deni que prius fuerint tẽtata,ſi ſcrotum intumuerit,ei plura vulnuſcula infiget;ſin minus,circa ventrem,relicto hepate, in medio muſculorum obliquorum , epigaſtrij ſectionem faciet. Sed æger prius conuenienti ſitu collocetur : ſectorq. tuto, cito, & iucunde ſuum opus abſoluat. Commode ſectione facta, prima vice,experiundi tantum cauſſa,an prodeat aqua,non nihil euacuabimus;poſtmodum ſpatio duodecim dierum,parum pro vice, tota aqua abſumatur. ægri autem vires conuenienti victu,epithematibus, vino odorato manuteneantur. exhibebit itaque contuſa ex carnibus pullorum, faſianorum,iuſcula conſumpta appellata, oua ſorbilia. ſi vero cum magnitudine morbi virium ſubſit debilitas,ex inſtituto Gal.1. Aphor.parum, & ſæpe nutriamus. In ipſa hydropicorum curatione,antequã ad ſectionem accedamus, victum maxime exſiccantem inſtituemus: panis paretur ex anetho,feniculo: carnes ſint pullorum,faſianorum,turdorum, pipionum,aliorumq. animantium,quæ non multa redundent humiditate:hæc aſſentur, addito cinnamomo, aniſõ, cariophylis,rore marino: à potu,ſi fieri poteſt,omnino ægri abſtinebunt;ſin minus,tantum ijs condonandum, quantum ad vitam propagandam natura ipſa expoſtulabit. Sit vinum album,vetus, omni dulcedine immune, aqua cinnamomi, vel aniſorum dilutum: cumque maxime ſitiant hydrope correpti,nihil ijs præſtantius,quam ſitim diutius perferre. exercere ſeſe per loca arenoſa; deambulare; aſcendere montes; aquas hydropicorum aſſumit.

De Aſsiſtentis Officio in affectibus Lienis. Cap. XX.

ETſi lien quamplurimis ſubijcitur morbis, humida tamen,& frigida intemperie,ex humido,& immoderato victu,& potu contracta,ſæpiſsime affici ſolet.Nam,vt refert Aet.lib.10.cap.7.ex Philagrio,ſplenis ſubſtantia laxa,& rara eſt,& facile craſſam,tenuemq. ſuſcipit humiditatem. hoc idem fortaſſe Hip. intellexit,cum lib.de morbis,munus ipſius lienis aquam trahere eſſe dicebat. iiſdem fer me vitijs corripitur lien,quibus hepar.Verum,ob perpetuum craſſarum humiditatũ confluxum,frequentius obſtructione,& ſcyrrho tentatur. Eadem igitur erit Aſsiſtentis induſtria in lienis, ac fuit in hepatis affectibus.in hoc tantum cura differt,quod in inflammatione lienis baſilica ſiniſtri lateris, ſeu ſaluatella eiuſdem manus

aperiri

aperiri debet: vulnus ſit ſolito maius, quo ſanguis craſsior effluat: qui ſi floridus,& tennior ſit, ſtatim comprimatur: &, quoniam forſaſſe contingit, vt ſanguis ille, qui in venis prope ſectionem continetur, floridus,tenuisq. ſit,reliquus craſsior,& nigrior;ideo,aperta vena,dimidia ſanguinis vncia euacuetur,oſculum deinde digito recludatur, &, exiguo tempore interiecto, contineatur, vt ſanguis, qui ſua craſsitie lento motu ad venæ oſculum mouetur, tandē perueniat. ſublato deinde digito, vncia altera extrahatur: iterum digitus ſuperponatur: ſi ſecundus hic ſanguis craſsior fuerit, morbi magnitudine,viribusq. perſpectis,tantum ſanguinis repetitis vicibus extrahatur, quantum affectus requirere videbitur. ſi vero poſtremus ſanguis tenuis ſit,& floridus, à largiori euacuatione abſtinebimus. clyſteriorum præterea frequens vſus in lienis affectibus ſummum commodum,vtilitatemq. præſtare conſueuit. ea vero lenientia ſint. ſi enim lienis affectui inteſtinorum difficultas ſucceſſerit, ægros in ſummum adducit vitæ diſcrimen; tum, quia humoris tranſitu maximè læduntur inteſtina; tum, quia virtus deijcitur. Etiamſi dicat Hip. 6. Aphor. 48. Lienoſis ſuperuenire dyſenteriā, bonum, id intelligi debet ratione humoris, qui euacuatur; &, ſi ea modum non excedat,localia etiam medicamenta ſiniſtro hypocondrio applicentur, quæ in obſtructione, & tumore lienis maioris, & virtute, & calore ſint inſignita. valde enim viſcus hoc calidis recreatur, tum actu, tum poteſtate, dummodo forti non laboret inflammatione. tunc enim,& actuali calore, & facultate moderata eſſe debent. lana enim ſuccida in æqua parte olei dulcis,& vini veteris auſteri,vel,loco vini,ſi magna ſit inflammatio,aceti madefacta, modice calida,regioni lienis applicata,ſeu cataplaſmata ex hordeacea farina,loliacea,cum poſcha,& melle,& oleo de abſynthio commixta,optima in lienis inflammatione ſolent eſſe præſidia. ſin autē in tumorem lien fuerit eleuatum, & obduruerit, emplaſtrum de melliloto, cui exiguum armoniaci in aceto diſſoluti, & non nihil oxymellitis ſquillitici fuerit additum, vel vnguentum artanidis,calidum lieni impoſitum, ipſius obſtructiones aperit, & emollit. Neque ad obſtructionem ſplenis tollendam, ea,quæ intus aſſumi ſolēt, omittantur. præter enim potiones in obſtructione hepatis inſtitutas, ſi diutius ſequenti ſyrapio lienoſus vtatur, ſeruata conuenienti victus ratione,ab omnibus,quæ ſubſequuntur, incommodis liberabitur. Potio vero hac ratione inſtituetur. Rec. corticum radicis tamariſci,capparorū,laphati an. vnc. ÷ camedrios,citrac,ſeu ſcolopendriæ an. m.j. decoquantur in aqua citrac.lib.1.coletur,addatur aceti ſambucini lib. ÷ zacchari q. ſ. fiat ſyrapium cum cinnamomo

momo aromatizatum, de quo Rec. vnc. ij. decoctionis eorundē vnc. iij. capiat ſummo mane. purgationes per interualla fieri poterunt, ex infuſione, & decocto epithymi, foliorum ſenæ, & alijs atrum humorem expurgantibus; eaque omnia, tum in medicamentis per os, & extra adhibitis, tum in victus ratione offeruētur, quæ in hepatis obſtructione præcepimus. cumque ex nimia humiditate lien in tumorem eleuetur, victus attenuans, & exſiccans maxime cōueniet. Vinum itaque ſit album, auſterum, aqua cholybeata, in qua citrac incoxerit, dilutum: nam, vt refert Celſus, & lienoſis, & hydropicis aqua cholybeata vſui erit. hæc vero ita paretur. Toties ferrum, ſeu chalybs in aqua exſtinguatur, donec quarta pars ex repetita exſtinctione fuerit abſumpta. hoc autem præſidium à ferrariorum ſuibus, aquam, in qua ferrum exſtinguere ſoliti ſunt, ebibētibus, poſtea apertis, fere ſine liene inuentis, emanauit: &, ſi aqua hæc vtilitati eſſe poteſt, non tamen lienoſi in potu liberaliores ſint: nam ijs, purgato corpore, & aliquo conuenienti medicamento lienis regioni impoſito, nihil ſalubrius, quam maxime ſeſe antę cibum exercere, & parum, aut nihil potare.

De Officio Aſsiſtentis in Colico dolore. Cap. XXI.

INteſtinorum dolores ad tantum ægros deducunt vitæ diſcrimē, vt, niſi accommodatis præſidijs ijs ſuccurratur, omnis medendi occaſio eripi videatur. ea enim, cum neruoſa conſtent ſubſtantia, maximoq. ſenſu prædita ſint, minima quaque re oblæſa, acerbiſsimo dolore afficiuntur. dolores vero, vt dicebat Gal. 12. Met. ſunt vnum ex ijs, quæ maxime virtutem proſternunt. etſi innumera propemodū ſunt, ex quibus inteſtinorū procreari poſsint dolores, is tamen, quem colicum appellamus, ex pituita craſſa, frigida, & vitrea, otio, frigido, potu, & immoderato victu progenita, in inteſtinisque impacta, exoritur. hic vero dolor modo per ipſa inteſtina vagatur, & loco certo ſtare neſcit, modo, quaſi infixi pali, certo, ac ſtatuto loco conſiſtit; vt plurimum autem ad inguen ſiniſtrum, & vtrumque renem conuoluitur, ita, vt à nephriticis doloribus diſtingui vix poſſit. Aſsiſtens vero noſter, ab ægro ventris doloribus correpto accerſitus, antequam ad aliquid adminiſtrandum accedat, hæc prius animo volutet, & contempletur, an dolores cum febre acceſſerint, an euacuatio aliqua præceſſerit, aut in præſenti laceſſet, an circa renē grauis dolor, vrina turbata, ſicut lotura carnis pudendorum pun-

ctio,præfuerit;&,ægro reſupino collocato,contractis cruribus, leni ter manu pertingat, an circa hypocondria tumor cum dolore percipiatur;muſculosq. abdominis manibus pertractando, an in ijs doloris cauſſa reſideat;cumq. plures vomitus hos dolores ſubſequantur,humores per vomitum euacuati, an ſimplices, vel mixti,cuius naturæ,facultatis ve ſint,optime cognoſcat. ſingulis enim his perſpectis, ac diſiunctis, & eorum præcognita cauſſa, facile poſtmodũ colici doloris curationem aggredietur. nam,vt ſupra dicebam, ita hepar ſupra inteſtina diffunditur,& propagatur,vt ab eo,& ventriculus, & magna inteſtinorum pars cooperiatur. in muſculis etiam humor aliquis imbibitus, aut apoſtema eorum tendones extendẽs, non mediocrem parit dolorem. aliquando demum humores acres, bilioſique per ipſa inteſtina effluentes non ſolum dolores inferunt, ſed ipſa etiam inteſtina exulcerant. quæ quidem omnia, cum maxime inter ſeſe diſsideant, ac diſtracta ſint, longe variam admittunt curationem. Statuto itaque, colicum dolorem, aut ex flatibus in ipſis inteſtinis contentis, aut ex humore illo pituitoſo, & vitreo in aliqua inteſtinorum parte infixo excitari; primo ad Aſsiſtentem præuidere ſpectabit, an ab induratis fæcibus via flatibus, quo minus egrediantur, intercludatur; deinde,an conueniens ſit facta pituitoſorum humorum per vomitum euacuatio, vel adhuc reliqui ſint,& expurgari expoſtulent.Nam,ſi ſupra vmbilicum dolores excitentur,pharmaca ad communes vias abſtergendas per os propinantur: cum vero infra, per infuſa iniecta,vtiliora eſſe creduntur. Verum,nullo humore per vomitum educto,vrgentibus vndique doloribus,leni medicamento, ſi non humores, fæces ſaltem induratas diſſoluere,atque educere tẽtabimus. Sed, ſi,hoc exhibito,nihil reddatur,tutius erit,medicamenta per aluum inferiorem inijcere,quã per os quidquam propinare: clyſteres autem,qui ad fæces emolliẽdas in dolore colico infunduntur, ne vncias octo excedant: ita, vt decoctionis emollientis ſint vnciæ quinque, olei camomelini vnc. iij. hac enim ratione in ipſis inteſtinis diutius retinentur, & fæces facilius diſſoluuntur,minimeque dolorem incutient. Sed, ſi, infuſo iniecto, nihil adhuc reddatur, alterum paulo acrius inijciatur, atque ita proſequendum,donec fæces ex earum euacuatione emollitas eſſe intellexerimus. neque, propterea ſi nihil reddatur, clyſteres plurimi inijciãtur.vno enim, vel altero infuſo,ſi nihil prodierit, per acria ſuppoſitoria naturam ad expellendum incitabimus. Nã, iniectis pluribus in die clyſteribus, dolores fortaſſe fient acerbiores,& inteſtinorum virtus debilitabitur.Quare,ſi,tribus ad ſummũ clyſteribus infuſis, & redditis, dolor adhuc in ſuo vigore, roboreq.

conſi-

conſiſtat,ad fotus,cataplaſmata,& ad alia dolorem ſedantia deueniemus. Neque illud prætermittendum eſſe arbitror, clyſteres maxime calidos,niſi corpus fuerit quam optime expurgatum,ſumma ſolere afferre incommoda. Humoribus enim viſcidis, in ipſis inteſtinis impactis,ſi calida infuſa, in quibus euphorbium, aut caſtoriũ ingrediuntur,inijciamus,humores attenuando,in flatus diſſoluent, qui, inteſtinorum tunicas intendentes, dolorem reddent grauiorẽ. ſemper enim,tum per os,tum per infuſa,à leuioribus inchoandum. per os ea, quæ incidunt, & flatus diſſoluunt, exhibebimus: inter quæ enumerantur,origanum, menta,pulegium, marrubium, hyſſopum,thymum,anetum, camomelum,aniſum, ciminum: ex quibus, & ſyrupia,fotus,& decocta parantur,diaciminum, diagalanga,gallia muſcata, aromaticum roſatum, confectio de baccis lauri, theriaca,mitridatum. His medicamentis ſæpe aſſumptis,humores,flatus procreantes,diſſoluuntur, & per clyſteres ſæpe adhibitos poſtmodum euacuabuntur.Sed aliquando, tot, tantiq. vrgent dolores, vt,relicta cauſſa,& rationali cura,eos ſedare cogamur: quod infrigidantibus, & ſenſum obtundentibus, præſtabimus: quæ etſi morbum longiorem reddunt, tutius eſt morbum in longum extendi, quam ægros vehementibus doloribus exanimari. in pueris tamen, ſenibus,mulieribus,quoad fieri poteſt,ab his medicamentis abſtinebimus. ea autem ſi ipſis infuſis immiſceantur, minora inferent incommoda, quam ſi per os exhiberentur. &, vt in eorum vſu ægros ab omni offenſione tueamur,à minima eorum copia,ſemper augendo, inchoabimus. huius generis ſunt philonium Romanum; perſicum,& omnia quæ opio componuntur. Sed,antequam Aſsiſtens ad hæc accedat præſidia,nihil intentatum relinquat: fotus enim ex decocto camomelli,melliloti, aneti,mentæ,origani,pulegij, cimini,aniſorum, per ſpongiam calidi adhibiti, aut oleum camomelinum, anetinum, rutaceum,de abſynthio,in veſica incluſa, & calida ventri applicita,vel ſacculi abſynthio, furfure, ſale,aniſo, cumino pleni, calidi ventri impoſiti,& dolorem lenire, & nonnumquam penitus tollere conſueuerunt. fotus,ſacculi,veſica, cum actualem caliditatem deperdere incipiunt, amoueantur,& iterum calefiant,& reponantur. gutta enim, ſæpe cadendo, duriſsimos lapides excauat. His vero nihil proficientibus,Gal.12. Met.cucurbitam magnam ſæpe ventri impoſitam ad hos dolores ſedandos, tamquam incantamentum,eſſe dicebat. ea vero ſit perforata; &, cum affigitur, oſculum cera claudatur;cum amouere mens erit, os aperiatur. Arabes multo igne eam applicandam eſſe præcipiunt. Verum Aſsiſtens, ægri habitu, dolorisq. magnitudine, perſpectis, modo exigua, modo

T multa

multa flamma affigere poterit. laudatur præterea emplaſtrum de baccis lauri diaphynici. Ad balneum præterea decoctionis eorum ſimpliciũ,aut olei in colicis,& nephriticis doloribus,poſtremo Medici deuenire ſoliti ſunt. eadem erit balneandi ratio,ac in capite de ethica docuimus. ſi vero colici dolores,& ex humoribus euacuatis ex febre,alijſque notis caliditatis ſigna præſeferant, à valde calidis tum actu, tum potentia, abſtineat, & temperatis vtatur: in commixtis vero,pro eorum natura,& facultate, medicamenta commiſceat.Morbus hic,cum non diu perduret, ſæuiſsimaq. habeat accidentia, & ægri omnia fere euomant, cibum tenuiſsimum expoſtulat,qui facile concoquatur,nec multa humiditate in ventriculo fluctuet. vinum ſit album, odoratum, aqua aniſorum, vel cinnamomi dilutum: æger ante cibum, vel cochleare pulueris cimini aſſumat, vel caſtorium in puluerem, & decoctione cimini in duas pillulas redactum accipiat. ex Gordonio enim facta ventriculi purgatione non ſolum ad flatus diſcutiendos, ſed ad reliquos humores in ventre contentos euacuandos, has ex caſtoreo pillulas maxime eſſe accommodatas accepimus. Motus quiete ſalubrior.nam in motu flatus diſrumpuntur magis,& minor percipitur dolor.

De Aſsiſtentis Officio in immoderatis Alui fluoribus. Cap. XXII.

SI talia purgentur, qualia purgari oportet, dicebat Hip. 1. Aph. 2. confert, & leuiter ferunt. natura enim, ſæpe humorum copia,quaſi pondere,oppreſſa,ac defatigata, noxios ſibi humores per infernam aluum deponit; quorum onere leuata ſummopere recreatur. Verum humores præter naturam in corpore diutius retenti, ita corrumpuntur nonnumquam,& deprauatam acquirunt facultatem,vt,eorum ſubita euacuatione,vijs,per quas educuntur,ſuæ prauitatis relinquant veſtigia. & propterea, is,qui alui fluore laboranti aſsiſtit, antequam quidquam in eius cura inſtituat, & adminiſtret,cauſſam,humorumque naturam optime cognitam, & exploratam habeat. provt à diuerſis, diſiunctisq. cauſsis, & locis, alui fluores emanarunt, diuerſa etiam nomina ſortiti ſunt. nam lienteria, cæliaca affectio,diarrhea,dyſenteria,omnes alui fluxus nominãtur.

Lienteria virtutis contextricis non ſolum ventriculi, ſed etiam primorum inteſtinorum, in quibus fit alimentorum diſtributio, arguit imbecillitatem: debilitas vero à frigida cum materia ſalſa, & pituitoſa proficiſcitur intemperie: hæc autem vt plurimum grauiſ-

ſimos

ſimos ſubſequitur morbos.neque vero auſim negare,nonnumquam vel ab acri quodam humore,vel ab vlceribus,ſiue in ventriculo,ſiue in inteſtinis exortis,virtutem contentiuam acutiſsimo quaſi ſtimulo compungi,& ad cibum,vt fuit ingeſtum, omni concoctione deſtitutum excernẽdum compelli. id autem,& ex doloris ſenſu, & acris humoris cum alimento commixtione , facile dijucabitur . Si materia iſta craſſa,aut ſalita,à capite in ventriculum defluxerit,vel biliosa,& acris ab hepate,alijsq. partibus regurgitauerit,non poterit affectus hic tolli,& perſanari,niſi prius, & capiti,& hepati, & ceteris corporis partibus , quo minus in ventriculum hos ſuccos demandent,interdicatur. id autem, vt antea enarraui, horum membrorũ curatione, & corroboratione facile aſſequemur . compreſſo à ceteris partibus in ventriculum eorum humorum confluxu,ad eos,qui in eo continentur,concoquendos,poſtmodum expellendos accedemus. ſi in ventriculi tunicis infarti ſint humores,hieracum,rhabarbaro in ſero caprino diſſoluta , extrahet , & expellet , euacuatis ijs, quæ vel frigidam intemperiem inducebant,vel ad expellendum ſolito citius impellebant ea , quæ ipſum ventriculum corroborare , prauam intemperiem ſuperare,& in naturalem ſymmetriam reuocare poſſunt,comparabimus.multa & per os aſſumenda,& exterius imponenda,ad ipſius ventriculi firmitatem,aluiq. fluorem continẽdum,à claſsicis auctoribus proponuntur. oxyzacchara cum ſyrupo de menta admixtum lambendo ſæpe aſſumptum, ſeu diacodium cũ ſapa factum , & ſomnum conciliat , & ventrem ſiſtit : cucurbitula , quam diximus ad retinendum vomitum conferre, cibum etiam,ne citius deſcendat, continebit . Maſticis puluis ſæpe cum ouo aſſumptus lienteriæ ſummopere profuit.Huic loco ab Aſsiſtente transferantur omnia , quæ in capite de ventriculi imbecillitate præcepimus;& ideo, in lienteriæ initio,antequam ad adſtringentia,& corroborantia deueniamus , fiant hæc omnia prius , & cognoſcantur . Si vero non ſtatim , ab aſſumpto cibo alimentũ e ventriculo eijciatur, ſed aliquantulum retentum ceterorum humorum admixtione corrumpatur,& demum ſemicoctum,putridum,graue olens deſcendat, cæliaca paſsio nominatur . in cuius curatione eædem prorſus, ac de lienteria , leges obſeruentur . Illud autem in vtroque morbo Aſsiſtens animaduertat. ſæpe hos fluxus non ex ventriculi vitio ſolum,ſed venarum etiam meſeraicarum obſtructione exoriri . quod ex hypocondriorum tenſione, & pondere,facile dignoſcitur . tunc autem temporis aperientium vſus alui fluori medebitur .

Sed, ſi humores corrupti, biliosi , plurimaq. vitia contracti , per aluum excernantur , id cum & naturæ beneficio , in fine alicuius

T 2 morbi

morbi diebus iudicatorijs, aut in ſanis hominibus certis periodis, ſtatutisq. temporibus aliquando vi morbi,& inordinate, & ſine periodis fiat;quemadmodum naturę motus ſequi,ſi tardiores fuerint, adiuuare,ſi natura deficiat, omnino accommodatis medicamentis euacuare, ita ceteris obſiſtere, eorum acrimoniam, prauitatemq. retundere,&,quominus locos,per quos tranſeunt,lædant, prohibere debemus. De alui fluoribus in febribus,& diebus decretorijs aduenientibus 2. lib. actum fuit: nunc autem de ijs,qui vel humorum corruptella,& vitio,vel copia,ipſi naturę ſtimulos ad excernendum addunt,pertractabimus.Aſsiſtentis itaque munus in ijs erit principio,vbi humorum copiam ineſſe compererit,eam leui medicamento, quod partes etiam corroboret, imminuere. Parabitur itaque medicamentum ex rhabarbari torrefacti, & in puluerem redacti, Drag.j. ſyr.roſ.ſolut. vnc. j. aquæ plantaginis. q.ſ.fiet breuis potio in aurora aſſumenda. poterimus etiam cortices myrabolanorum admiſcere:poſtmodum eos, qui reliqui ſunt, humores, vel ad benignum,ſi fieri poteſt,reuocabit,vel eorum motus,& impetus, retardabit;dumq. ijs ſeſe obijcit, naturam ipſam corroborabit; loca,vnde pertranſeunt, muniet, quo minus eorum curſu offendantur. potiones,quæ id præſtare poſſunt,parantur ex cicorio, endiuia,acetoſa,plantagine,portulaca,ſyrupo de cicorea,acetoſa,plantagine,roſato ſimplici,de pomis, de roſis ſiccis, de myrtis. conficitur præterea ptiſana ex hordeo torrefacto. In iuſculis, & cornibus, quibus æger veſcitur, ſemper endiuia, plantago, & acetoſa decoquantur. Vinum ſit album, ſeu ſubrufum, aliquantulum auſterum; clyſteres ex his iuſculis, vel aqua hordei cum zaccharo, & vitello oui, vt inteſtina ab humoribus acribus abluantur,inſtituemus: &, donec cor rupti humoris reliquiæ appareant, niſi de virium imbecillitate vereamur, numquam ad adſtringentia accedemus. Verum, cum ſæpe contingat,vt ex humorum putridorum tranſitu inteſtina inflammētur, exulcerenturque, diarrhea cum dyſenteria commiſcebitur; tunc temporis Aſsiſtens,pro affectuum indigentia, remedia ſubminiſtrabit. Inflammationem vero eſſe, in inteſtinis dolor acerbiſſimus, in ijs excitatus, cum febre, & bilioſi humoris exeretione, demonſtrabit. Vlcus veró iam infixum, pinguedinis, & ramentorum, & puris cum putridis humoribus admixtio, & dolor in parte firmatus, apertiſsime declarabit. Neque in dubium reuocari debet, inteſtinorum inflammationem, ſanguinis miſsionem expoſtulare. ſed, ſoluta aluo, aliam aggredi euacuationem, ab omni ratione videtur eſſe alienum: cum nimias, ac repentinas euacuationes natura maxime abhorreat. Sed, ſi vires conſtent, & ſanguinis

nis copia in corpore redundet, & grauis febris, inflammatioq. ſubſit, ætate etiam conſentiente, vena baſilica anguſto vulnere aperiatur; vt humores acres, & ſubtiles, ab inteſtinorum inflammatione retrahantur. Nec tantum ſanguinis euacuari debet, quantum & affectus magnitudo expoſtulabit, & virium robur patietur. nam, cum perpetuis doloribus, euacuationibusque ægri agitentur, non ad euacuandum, ſed ad reuellendum potius venæ ſectio fieri debet; vt vſque ad morbi inclinationem valeant ægri perdurare. Facta per venæ inciſionem reuulſione, ſi ex humorum copia, & inflammationem augeri, & inteſtina magis exulcerari pertimeſcamus, optime ægris conſultum eſſe arbitror, ſi inſtituta illa ex rhabarbaro, & myrabolanis, potione in hoc affectu vtamur. per aluum vero inferiorem clyſteres primum inijciantur; lenientes deinde, detergentes, & abluentes, poſtmodum, qui carnem regenerent, & vlcus exſiccent. inflammatione in inteſtinis exſiſtẽte, nihil ſalubrius, quam ſimplex oleum roſaceum inijcere, &, quoad fieri poteſt, diu retinere. remiſſa aliquantulum febre, & inflammatione, lac recenter mulctum, tepidum, iniectum denique, retentum, dolorem ſedabit, calorem contemperabit, vlcera abluet, & deterget, acres humores obtundet. Aetius, & Oribaſius ſolo recenti lacte multas dyſenterias perſanarunt. At, ſi febris ſit vehemens, dolor, aut imbecillitas capitis, vſus lactis etiam per inferiora damnatur. loco lactis ſerum ipſius adhibebimus. Sed, ſi inteſtina ab ulceribus, excoriationibusq. vindicare velimus, clyſteres parabimus, in quibus, & pinguedines arietis, capræ, butyrum, vitella ouorum, & mucilagines pſilij fuerint diſſoluta; ſi abſtergere, ptiſana ipſa ex hordeo torrefacto, liquidior confecta, aut ſerum caprinum cum zaccharo iniectum, ſummam vtilitatem præſtabit. non nulli arbitrantur affectum in tenuibus inteſtinis exſiſtentem per ſorbenda medicamenta; in craſsis vero, per clyſteres facilius ſanari: ſed & potiones, quæ humores adæquẽt, & eorũ acrimoniã retundant, & clyſteres, qui inteſtina abſtergant, doloremq. leniant, in inteſtinorum exulceratione commodi cenſentur. In peſtilenti autem conſtitutione, dyſenterijs, & alui fluoribus vndique craſſantibus, aut aliqua ſuppreſſa euacuatione, vt hemorrhoidali vterina aduenientibus; adſtringentium vſus omnino prohiberi debet, niſi virtus deijciatur, aut noxios humores penitus excretos eſſe cognouerimus. quibus euacuatis, ſi ad adſtringentia veniendum ſit, à leuioribus ſemper inchoabit Aſsiſtens, & numquam in morbi principio. cornu vero ceruinum adustum. in toto morbi curriculo exhibitum, cum exiguam vim habeat adſtringendi, valde in dyſenteria laudatur: cetera vero adſtingentia

iuxta

iuxta ſuos gradus facile ex ipſo Galeno, Aetio, Paulo, aliiſque auctoribus petere poterit. exterius autem, tum ad leniendum dolorem, tum ad virtutem concoctricem confirmandam, ventrem lenimus oleo roſaceo omphacino, myrtino, citoniorum, maſticino, deinde perſpergimus puluerem roſarum rubearum, myrtilorum, abſynthij, aniſorum. ſumacrete, etiam ipſius hirci, arietis, in aliquo horum oleorum excalefactum, toti ventri extenſum, & in terminibus, & dyſenteria dolorem lenit. frondes ficuum in vino auſtero decoctæ, & calidæ ventri impoſitæ, cuicumque alui fluori mederi creduntur. Sed, tranſactis primis diebus, & communibus præſtitis euacuationibus, aliiſque pertentatis præſidiis, aqua tetucij, calida, quantum perferri poteſt, ad libras quattuor ſingulis diebus per ſex dies aſſumpta, & torminibus, & inteſtinorum excoriationibus, vlceribus, & cuicumque alui fluori præſidio eſſe ſolet. cum enim aqua hæc ſolita ſit, & per aluum poſt horam reddatur, abſterget, incidet, euacuabit, exſiccabitque; & cuicumque affectui ventriculi inteſtinorum a cauſſa frigida, & craſſa, & flatibus, accomodatiſsimum præſidium eſſe iudicaui. Hanc, cum non niſi illius regionis, incolæ, agri videlicet Lucenſis, ex proprio fonte haurire poſsint; ea alio tranſlata eoſdem pene parit effectus. Vitrea amphora ea impletur, & apud ignem, aut in cacabo feruenti aqua pleno, calefit; deinde æger ſpatio vnius horæ plenis cyathis vſque ad libras quattuor ebibit: tantum vero temporis inter vnum, & alterum cyathum interponitur, quouſque vomendi voluntas conquieſcat continuo; &, dum ebibit, & poſtquam tota fuerit per aluum reddita, moderate deambulet, nec cibum ante perfectam euacuationem capiat, nec ea die dormiat, hilare viuat: pranſus tenuis, cena vberior: ſed, ſi, ob virium imbecillitatem, æger e lecto ſurgere non valeat, quamuis ſerius reddatur, conferet tamen in debilibus alternis diebus aquam hanc potandam exhibemus; reliquo vero die, ex eadem, addito ouorum vitello, clyſter iniiciatur. propterea Aſsiſtentis partes erunt, hæc omnia parare, & ęgro, dum ebibit, animum addere, variiſque rationibus confirmare, ſummam ex ea vtilitatem percepturum. Locus, in quo æger in deambulationem veniet, ſit moderate calidus, nec ventis, fumo, aut aliis externis, aut fortuitis incommodis expoſitus. Ea, quæ per aluum euacuantur, pluribus vaſibus aſſeruentur, vt humores, quos ſecum ducit, inſpici poſsint: deinde ſimul miſceatur, eiuſque copia perpendatur, an tota aqua fuerit per aluum euacuata. Si enim tota non reddatur, ab eius potu abſtinebimus,

& clyſteribus potius vtemur. noui enim plurimos, quibus, cum totam non excernerent, bis tamen & iterum ab importunis Medicis eſſet exhibita, in hydropem incidiſſe, aut tabe fuiſſe conſumptos. Sed, vt ex aqua tetucij ad noſtrum inſtitutum reuertamur, in lecto, & quiete continendi ſunt, qui dyſenteria, aliiſq. alui fluoribus laborant. ex motu enim maior fit humorum agitatio, ac proinde maior excretio: & ideo, ſi ægri imbecilles fuerint, & diutius perdurauerit affectio, in ipſo lecto excernant, & aluum exonerent, tum ob rationem ſupra allatam, tum ne in ipſa latrinaria ſella in animi deliquium incidant. ſi ſanguis, aut humores nimis tenues euacuentur, aqua, qua vinum diluit, ſit cholibeata, & in ea parum maſticis diſſolutum. vinum ſit rubeum, auſterum. ſed, ſi febris adſit, a vino omnino abſtinebit: loco eius ſit vinum granatorum. in cibis riſum in lacte decoctum, farrum, ptiſana ex hordeo torrefacto, in qua vel ſuccus limonis, vel granatorum ſit expreſſum, ſi præſertim adſtringendi mens fuerit. carnes aſſæ, pullorum, turdorum, faſianorum, pedes arietis, vituli, cum exiguo aceto, aut plantagine, acetoſa, portulaca decocti condita citonia cibum omnem præcedant. Dyſenteriam, ceteroſque alui fluores voluntas illa maxima egerendi, quæ Teneſmon a Græcis appellatur, conſequitur. Sæpe enim rectum inteſtinum, vel ex acribus humoribus per illud tranſeuntibus, vel ex hemorrhoidibus turgentibus, vel vlcere aliquo in eo exorto, tanto afficitur dolore, & deiiciendi deſiderio, vt grauiſsima pariat accidentia. eadem, quibus curata fuit dyſenteria, remedia huic malo adhibebimus. Clyſteres ex aqua hordei, zaccharo roſaceo, & vitello oui adminiſtrentur, ſed in exigua quantitate. ex aqua etiam tetucij clyſteres cum vitello oui a quacumque cauſſa, vna inflammatione excepta, huic affectui medebuntur. fotus ex taſso barbaſſo, ſeſsio in tabula calida cupreſsi, dolorem ſedant. ſuppoſitoria, ſeu petia madefacta in mucilagine pſilij, citoniorum, ſeminum cucurbitæ, aut aqua ex floribus ebulli per lambiccum educta, dolorem tollit. Ex his Aſsiſtens, modo vno, modo altero, ſæpe vtatur. ex pluribus enim actionibus inducitur habitus.

De Aſsiſtentis Officio in affectu Renum, & Veſicæ. *Cap. XXIII.*

RΕnes, qui, vt ab excrementicia humiditate ſanguinem in venis expurgent, eamq. foras per veſicam propellant, comparati eſſe videntur, variis, & periculoſis, præter naturam affectibus corripiuntur. ſæpe enim ſummo calore æſtuantes, aut acri humore laceſsiti, citius, quam par ſit, incoctam ſeroſam attrahunt humiditatem. quod quidem ſymptoma Diabetes a Græcis appellatur: cuius cauſſa, etſi nimiæ renum caliditati, vt plurimum, adſcribitur, nonnunquam tamen ita illorum contentiua debilitatur, vt, ſtatim atque ad eos effluxerit, vrina incocta in veſicam detrudatur. Qui hoc laborant affectu, inexplebili cruciantur ſiti, neque alicuius humoris facultate, etiam in magna copia aſſumpti, exſtingui, aut euinci poteſt; &, vt refert Aetius lib. 2. cap. 1. ex Aretæo viſcera iis exuri videntur.. anxij ſunt, animoq. dubij, & non longe poſt moriuntur. &, ſi forte vrina iis retineatur, intumeſcunt teſtes, lumbi, & coxæ. Si recens ſit affectio, & debita viuendi ratione, & opportuna medicamentorum adminiſtratione, huic malo ſeſe Aſsiſtens obiiciet. Nam, ſi in ambitu totius ferueant humores, primo ex baſilica anguſto vulnere venæ ſectionem inſtituet. id enim non ad euacuandum, ſed ad corpus refrigerandum, reuellendumq. inſeruiet. ideo copia minor ſit, quam ægri vires pateren tur. Sed, ſi multa bilioſorum humorum copia hunc procreet affe ctum, primo hos ſuccos accommodato medicamento euacuabit; poſtmodum, ſi qui in ipſorum renum ſubſtantia imbibiti ſint, cum medicamentis, quæ vrinam ciere valent, immiſceat ea, quæ contumacem, & in ipſis renibus infixum humorem repurgare poſſunt: ſi tamen inueterata fuerit affectio, nihil his commodius, atque aptius, quam aliquam actu frigidiſsimam potionem ebibere, ſtatimq. euomere, & frigidis alimentis, & potionibus, ſanguinem incraſſare, refrigerare, ac totam in cauſonide medendi rationem huic affectui transferre. ptiſana igitur hordeacea actu frigida aſſumatur, & omnia, quæ tum in potibus, tum in cibis exhibentur, non ſolum virtute, ſed etiam actu frigida exſiſtant: caueatq. ſemper ab iis, quæ vrinam aut cient, aut augent. cum ptiſana ſuccus granatorum, limonum, acetum roſaceum commiſceantur. cum carnibus ebulliat acetoſa, plantago, cucurbita, portulaca, endiuia. hepati etiam, & renibus, ea, quæ eorum caliditatem valeāt con tempe-

temperare,& adequare,amota ſolum actuali frigiditate,& fotibus, emplaſtriſq. applicentur. Aetius lib.2.cap.1. in dolium aqua modi ce calida plenum iubet ægrum vſque ad collum immitti. hoc, ne aquæ vapores ad caput eleuentur:æger vero frigidum aerẽ inſpiret: totum præter caput contegi præcipit:nam,præterquam quod totũ corpus hac ratione humectatur,humiditas illa,quæ per vias vrinæ euacuabatur,diuertitur per ſudorẽ.Alij plũbea lamina, regioni renum impoſita,& diu retenta,aſſerunt valde huic affectui prodeſſe: præſertim,ſi inſita renum caliditate, debiliq. retentiua proficiſcatur. Hoc malo detenti, quieſcãt:ſupra renes minime decumbant. Ad ſitim tollendam,os ſemper rebus acidis,frigidiſq. humeſcat:vrgente neceſsitate,ſiue aquam,ſiue vinum bibat:ea acerba, & minime vrinam cienti facultate prædita ſint. Verum, ſi hiſce omnibus præſidiis morbus hic non euincatur, nonnulli ad ſenſum obtundentia deueniendum eſſe conſuluerunt. Quæ Aſsiſtens,ſine præſtantiſſimorum Medicorum conſilio, & ſumma coactus neceſsitate,ceteriſq. omnibus adhibitis, & aliquibus indutiis, & temporis ſpatiis, ipſi naturæ, vt vires reſumat, datis, adminiſtrare minime audeat. Nonnumquam vrina mungitur,vt lotura carnis,ſine aliquo renum dolore,aut pondere,aut arenularum euacuatione, quæ in vaſe vrinario detenta deponit,ægri debiliores redduntur,emaciantur. huius cauſſam plurimi referunt in oſculũ venæ cauæ, quo cum emulgentibus coniungitur,nimis extentum,& apertum, aut in alicuius uenæ in renibus apertionem,& eandem prorſus,vt in vrinarũ profluuio,inſtituunt curationem.Nonnũquam vna cũ huiuſmodi vrina grumi ſanguinis educũtur,& ſanguis ipſe floridus emingitur.quod autẽ in renibus,& in veſica venã ſiue corroſam,ſiue fractã, adapertãve eſſe ſignificat,ægri animo deficiũt,eorum pulſus quotidie concidũt,pallefcũt,emarciãtur,& vrina a ſanguinis grumis ſæpe intercipitur,difficilis admodũ morbus;&, ſi cũ febre cõiungatur, aut in inflammationẽ,aut in ethicã trãſmigrabit.Idẽ erit in hoc Aſsiſtentis officiũ,ac fuit in ſanguinis ſputo ex vena in pectore diſrupta:celeriori tamen indiget cura. ſtatim,& ad extremorũ vincula, & ſanguinis miſsionẽ deueniemus. ea vero cum reuellendi gratia fiat,angusto oſculo, exiguaq. ſanguinis copia in plures partes diuidatur: &,ſi in veſica ſit morbi cauſſa,iubet Aetius lib.2.cap.27. in decumbendo ſurſum verſus eſſe collocandos, & ſpongiam rebus frigidis, & poſca imbutam actu frigidam eſſe imponendam;cumq. tepeſcit, inmutandam; malo vero urgente,cucurbitulas iliis,lumbiſq. infigendas fore.In hoc morbo, grumis inter ueſicæ meatus ſe ſe interponentibus, nimioq. frigore ueſicæ uirtute debilitata, craſsis,uiſcidiſq. ſuccis in ea contentis,uel ex calculo,renibus,aut ureteribus,

aut in veſica contento vrina,vel omnino ſupprimitur, vel difficile, aut ſummis conatibus deſtillando eiicitur in huiuſmodi lotij retentione. Ad Aſsiſtentem ſpectabit primo mali cauſſam præcognoſcere.Nã huius morbi cauſſæ inter ſeſe diſiunctæ ſunt,vt diuerſam omnino admittant curationem. ſanguinis grumus diſſolui,calculus atteri, & imminui; humores craſsi incidi, & attenuari, veſicæ virtus debilitata corroborari, ea,quæ vrinæ meatum obcludunt,amoueri expoſtulant.In omnibus autem, ſi ſanguinis copia ſubſit, venæ ſectio;ſi deprauati, corruptique humores prædominentur, purgatio præmittatur,pro legibus,propriis capitibus a nobis inſtitutis.Sanguinis grumi, ſucciq. craſsi decocto,ſticados, ſarmentorum vitis, capillorum veneris, betonica, oxymellite, inciduntur, attenuantur,diſſol uunturque.Virtus vero ipſius veſicæ fouetur fomentis ex decocto maioranæ, roris marini, abſynthij,origani,calamenti, petroſelini,hyſſopi,parietariæ : ex quibus etiam balnea parantur. eadem medicamenta cum oleo ſcorpionum butyro in ſartagine decoques,& calida ſuperiori femori,pectiniq. admouebis.Id etiam arietinum omentum calidum his locis applicitum eadem commoda præſtabit. clyſteres molles, glandes minime omittantur: &,ſi veſica fuerit plena, nec vrinæ liber fuerit exitus, ab omnibus vrinam prouocantibus abſtinebimus: ea vero, quæ veſicæ meatum obcludunt, ſi neque fotibus, neque medicamentis per os aſſumptis, neq. vehementi corporis agitatione, ligaturis, frictionibus remoueri poſsint, inſtrumentum, quod Siringa appellatur,a perito Chirurgo immittatur; ſi mulier ſit, cum vrinæ ductus per duos digitos intra vuluam ſitus ſit, mulier,ſublatis natibus, & capite cum reliquo corpore, cruribusq. depreſsis collocetur, vt vrinæ via intra vuluam ſita inueniri, ſiringaq. ſine dolore immitti poſsit. &, ſi calculum in veſica,vel genitum, vel a renibus delapſum,quominus vrina libere fluat, cauſſam eſſe reperiamus, & is humore aliquo viſcido iuxta veſicæ meatum impactus, & infixus ſit, niſi a peritis in arte per opportunam prope veſicæ collum ſectionem extrahatur, quotidie ei noua adiuncta, agglutinataque materia, calore ipſorum renum, & veſicæ adiutore, in maiorem molem augebitur. Verum, cum huiuſmodi calculi, lapillique, in renibus præſertim ſunt procreati, dum natura,eorum pondere grauata, ſeu ſtimulo laceſsita, eos per actiſsimas vias expellere nititur,acerbiſsimis ægri afficiuntur doloribus. Quæ tunc futura ſit Aſsiſtentis induſtria,paucis aperiemus.Etſi lapillos in vena caua,pulmonibus,inteſtinis cliſti fellis, ventriculo nonnumquã inuentos eſſe accepimus:renes tamen præcipue hunc affectum,vt plurimum, procreare videntur.Nam,vt dicebat

cebat

cebat Gal.6. Epid.comm.1.craſſus,lentusq. humor per vrinam a ceteris partibus demandatus,& in renum ventribus detentus,eorum calore exuritur,& temporis ſpatio ita exſiccatur,vt in ſubſtantiam toſo ſimilem conuertatur. In veſica vero calculi gignuntur, aut ex lotij craſsitie,vt refert Gal.1.de locis,aut a renibus in veſicam proiecti, ſi in ea diutius retineantur,augmentum accipiunt. & ideo dicebat Gal.6.Epid. comm.3.t. 15.lapillos in pueris in veſica ipſa fieri;in renibus vero iis,qui prouectiori ſunt ætate, dum fit, & in ipſis renibus conſiſtit calculus, vt refert Hipp.6.Epid. comm. 1. pondus quoddam in renibus præſentitur; qui ſi moueatur,& vreteres ingrediatur, vehemens exoritur dolor, vrina conturbatur, vomitus pituitoſi commixti, & nonnumquam æruginoſi, ſtupor in coxa, pudendique extremo pruritus, plurimaque alia ſigna conſequuntur. Aſsiſtentis in hoc morbo partes erunt, ſi humores facile, nec multis conatibus per vomitum educantur,vt capite de vomitu docuimus,omnia naturæ committere, ſi tantum nauſea,multaq.vi vomitus fiant,coadiuuandi, ſeu aliquo medicamento, quod ipſos renes a craſsis, lentisque humoribus expurgare valeat, quale eſt. Rec. diaſebeſten lenitiui, diacatholici an. drac. vj. ſeu aliis eiuſdē facultatis medicamentis humores illi per aluum inferiorem euacuētur. in initio ſtatim inteſtina molli clyſtere fæcibus inaniantur; ſi vero dolor maxime excruciet, cū mollibus ex oleo clyſteribus,qui drac. viij.minime excedat, mitiorem, leuioremq. reddemus.oleum enim in hiſce doloribus intra aluum iniectum obduratas fæces diſſoluit, partes circa vreteras emollit, viasq. fluidiores efficit,& propterea Aſsiſtens ſtudeat,vt oleum infuſum diutius intra ventrem retineatur. ſed,cum,vt plurimum, nefriticum dolorem flatus quamplurimi concomitentur,vt vix aliquādo is a colico dolore diſtinguatur, in hiſce oleis aliquid aneti,cumini, rutæ,abſynthij, aliaq. flatus diſſoluentia concoquantur. fotus etiam calidi, regioni,vnde vreteres pertranſeunt, vel vbi fixus eſt dolor, ex parietaria,petroſelino, oleoq. ſcorpionum parati,& adhibiti, dolorem lenient,vias aperiēt, lapidisq. deſcenſum reddent faciliorem. Sed,ſi hiſce præſidiis, nec dolor imminuatur, in eodemq. loco conſiſtat,vnc.iiij.olei amygdalarum amararum per os exhibere ſolemus. quo ſumpto,per ſeptem horas æger a cibo abſtineat. non ſolum hoc aluus,ſed etiam vreteres emollientur. At, ſi dolor vrgeat maximus, & periculum immineat inflammationis, & corpus multo abundet ſanguine, recensq. ſit affectio,ex baſilica;ſin minus,ex vena talari eiuſdem lateris pro viribus ſanguis extrahatur: demum cucurbitulas ſine ſcarificatione prope dolorem in parte inferiori plures applicabimus:neq. a fri-

ctionibus iuxta partem dolentem,ſemper ad inferiora trahedo,nec acontinuo motu, corporis agitatione, curru per aſpera, & ſaxoſa loca vectione deſiſtat. Diureticorum vſus, præſtitis communibus euacuationibus, emollitis per tot clyſteres, fotusq. viis, ſapilloq. vreteras ingreſſo, ſi cum iis incidentia,lapidem atterentia, & diſſoluentia commiſceantur, vel imminuendo,in ipſam primo veſicã, deinde foras calculum detrudet.Quare,ſi tota ſalutis ſpes in lapilli imminutione, diſſolutioneq. poſita eſſe videatur,nihil aptius, aut præſtantius, quam limonis,raphani,ſaxifragiæ, betonicæ,pimpinellæ,parietariæ ſuccos depuratos, ſeu lapidem Iudaicum,ſanguinem hircinum præparatum cum odorato, & albo vino, quattuor horis ante cibum vacuo ventriculo exhibere. poſſumus huiuſmodi ſuccis, ſiue vno quoque, per ſe, ſiue permixtis, ex medicorum conſilio, & occaſione, vti. Illud pro certo habeat Aſsiſtens,huiuſmodi medicamenta, quæ calculum atterere, & diſſoluere valent,niſi aliquid obſtet, ſemper cum vino eſſe commiſcenda. Prætermitto hic terebentinam, aliorumq. abſtergentium uſum: quæ potius calculi procreationem impediunt, quam iam genitum aut atterant, aut expellant. caueant tamen, qui huic malo ſubiiciuntur,a caſeo, lacte, & craſsi ſucci alimentis. ſi vero aucta ſit in ventriculo humorum crudorum copia,a diureticis, vrinamq. cientibus, tam ratione cibi,quam medicamenti,qualia ſunt aſparagi,feniculi,apium,petroſelinum. a vino dulci, & nouo omnino abſtineant. neq. in cibis aſſumendis, vel media, vel poſtrema menſa cum reliquis commiſceantur;ſed, ſi ſumendi ſunt, prima menſa præmittantur. quamquam, vt meam de hac re exponam ſententiam, ea, quæ diuretica nominantur, ab iis,qui arenulis,& calculo laborant,numquam,niſi ratione medicamenti, capienda eſſe ſuaderem.

De Aſsiſtentis Officio in Uterinis affectibus: & primo de immodico profluuio. Cap. XXIV.

MVlieres,præter morbos ſupra enarratos, qui in iis magna ex parte ab vtero,tãquam e fonte,emanãt, proprios ipſius vteri patiuntur affectus.Nã,cũ menſtruali euacuationi,partusq.incõmodis ſubiiciãtur,fieri minime poteſt,quin ex cõtinua mẽſtruorũ repetitione,aut euacuatione,aut partus dolore,& difficultate,innumeri committantur errores,virtusq. ipſius vteri quotidie magis labefactetur. Illud etiam accedit incommodi,antequam mulieres ſe Medicorum curæ committant, eas multa, vel ſuo Marte inuenta,vel ab aliqua vetula per manus tradita,nullã morborũ cauſſæ,aut temporis, aut medicamentorum, habita ratione, experiri; poſtquam

autem

autem omnia fruſtra fuerint pertentata, ad Medicorum præſidia confugere. Alias autem ingenuo quodam pudore affectas, cuiuſmodi ſunt virgines, ſua cum Medicis communicare, erubeſcere; etſi quampluri mi ſunt, qui inter vteri morbos reponuntur, eos tamen hoc capite perſcribemus, qui Aſsiſtentis opera, atque induſtria maxime indigere videbuntur, & in quibus ab ineruditis ægrotantium miniſtris, ſine vlla ratione, aut diſcrimine, remedia adhibentur. Mulieribus, cum ad decimum quartum ſuæ ætatis annum peruenerunt, menſtrua profluere incipiunt. quo tempore pubeſcunt, & eorum mammæ intumeſcunt. Verum, vt refert Aetius lib. 6. cap. 4. nec omnibus eodem tempore, eadem menſura, totidemque diebus, méſtruæ purgationes apparent. hic autem fluor, tribus, quattuor, & in non nullis ſeptem diebus perdurare, in eoque plus, minusve ſanguinis excerni conſueuit, interpoſitis viginti, aut ad ſummum triginta diebus. eadem ratione huiuſmodi purgationes per vterum deferuntur. Neque mulieres, ſi ſanæ degant, ante quadrageſimum annum ab huiuſmodi fæcoſi ſanguinis euacuatione liberantur. Non nullæ tamen vſque ad quinquageſimum quintum, & ſexageſimum ætatis annum menſtruas purgationes habuiſſe referuntur. Sed non numquam tanto impetu, & copia mulieribus huiuſmodi purgationes ſuperueniunt, vt, naturale, & conſuetum tempus excedentes, ad grauiſsima, curatuq. difficilia mala eas inducant. Quæcumque enim actio, quæ actum ſuæ virtutis excedit, proprium ſubiectum corrumpit; ac deſtruit; & ideo immoderato huic fluxui ex nimia ſiccitate, tabes, naturalibus partibus perfrigeratis, caloreque innato imminuto, hydrops ſuccedit. quæ mala non ſolum Hip. præuidit, ſed etiam Gal. & 5. de locis & 5. Aphor. 57. litteris conſignauit. Verum, vt, quoad fieri poteſt, miſeras mulieres ab huiuſmodi incommodis vindicemus, ſumma egemus Aſsiſtentis induſtria. Nã, cum euacuatio hæc à natura indita ſit, antequam quidquam adminiſtretur, naturæ motus, tempus, mulieris habitus, & conſuetudo præcognoſcatur; demum, ſi modum fluor hic excedat, cauſſa perpendatur. Etenim, cum ex caſu aliquo, ictu, immoderato labore, & conatu, vteri aliquando venæ aperiantur, aliquando corruptis, acribusque humoribus vim ipſi naturæ inferentibus, vel ſanguis ſubtilior, quam par ſit, reddatur, vel venarum oſcula dilatentur, aut corradantur, maxima fiet per has partes ſanguinis euacuatio; &, cum hæ cauſſæ inter ſe diſsideant, diuerſa etiam erit remediorum adminiſtratio. qui enim fluor à cauſsis externis, vt à caſu, ictu, nimio conatu, ortum habuit, neque corpus impurum, neque multis ſcateat excrementis, aut redundet humoribus, ſtatim eſt comprimendus:

mendus: at verò, ſi nulla externa præceſſerit cauſſa, aliquid ineſſe humoribus ſignificatur, quod naturam ad excernendum impellat. id itaque humorum copiæ, aut prauitati acceptum referemus. & ideo, niſi hæc copia fuerit ſublata, corpusque purum, & ad æquitatem redactum, menſtruorum fluor curari minime poterit: quamquam, cauſsis externis præcedentibus, cum vt plurimum ex inordinato victu in ventriculo, & primis ductibus excrementa coaceruantur, has partes lenienti medicamento, aut ſaltem clyſtere, prius expurgare, ſemper conſultius eſſe iudicaui. Deinde ad baſilicæ anguſto vulnere ſectionem deueniet Aſsiſtens. nam, cum copia per fluorem illum menſtrualem euacuetur, ad reuellendum tantum, & ſubtiliorem ſanguinem euacuandum huiuſmodi ſectio inſtituetur: ab hac in ſuperioribus partibus vinculis, frictionibus vtatur Aſsiſtẽs: & demum, ex diuini Hip. inſtituto 5. Aphor. 50. cucurbitam magnã ſub mammis affigat. His præſtitis, & ſæpe repetitis præſidijs, ſi adhuc menſtruorum fluor perſeueret, ea adminiſtret remedia, quæ tũ in vterum ipſum infunduntur, tum exterius eius regioni apponuntur; &, ſi venam ſiue abſciſſam, ſiue apertã in ipſo vteri collo, quod ex dolore concipi poteſt, vereamur, peſſaria infuſa in ſucco plantaginis, aut vino auſtero, mucilaginibus, gummi draganti Arabici circumuoluta, aut pulueribus thuris, maſticis, boli armeni, ſanguinis draconis, ſtercoris aſinini, alijsque adſtringentibus perſperſa, & immiſſa, plurimum prodeſſe poterunt. cumque oculis locum, vnde ſanguis effluit, intueri minime liceat, peſſarium in ſucco plantaginis, albumine, vitelloque oui infuſum, & intromiſſum, ſi fluorem ſiſtet, aut imminuat, huius fluoris originem in collo eſſe demonſtrabit. Itaque Aſsiſtens, ex molli lana bombace medij digiti magnitudine rubeo ſerico obuolutum, filoque obligatum peſſarium parabit; iubeatque, ſi ei minime liceat, qua poteſt facilitate, & manus dexteritate, ab obſtetrice, ſeu aliqua fida muliere, ſine aliquo dolore immitti. Sed, ſi ex peſſarij adminiſtratione nulla percipiatur vtilitas, eadem remedia per inſtrumentum ad id confectum intra vterum inijciantur. Quare vinum dulce, in quo cortices mali granati, plantago, conſolida maior decocta ſit, cum ſucco ſtercoris aſinini, aut plantaginis, & pulueribus, & gummis ſupra enumeratis, admixtũ, comparetur, & in vterum, actuali ſolum frigiditate extracta, infundatur. Mulier, pedibus, cruribusque ſublatis, totoq. corpore demiſſo, tamdiu contineatur, quoad remedia illa in vterum iniecta, eiq. vim ſuam communicaſſe, &, quod nobis in animo erat, præſtitiſſe conijciamus. Neque vmquam actu frigida medicamenta in vterũ infundantur; immo ea, quæ poteſtate maxime frigida ſint, ab vtero

prorſus

prorſus amoueantur: cum enim frigidum inimicum neruis ſit, vtero ex eadem ſubſtantia compacto infeſtiſsimum eſſe conſueuit. Neque omittantur ex eiſdem adſtringẽtibus vnguenta, emplaſtra, cerata, pubi, lumbisque applicita.

Sed, ſi ex humorum corruptela immoderatus mẽſtruorum fluor proficiſcatur, antequam putredo pẽnitus tollatur, & in naturalem formam, æquitatemque reuocentur humores, omnino adſtringentia fugiantur. Id vero menſtruorum color, & natura maxime demõſtrabit. Nam, ſi menſtrua vel pallida, vel crocea, vel alterius, præter quam ſanguinis, coloris fuerint, ſi in excernendo male oleant, aliaque prauæ facultatis ſigna præſeferant, nec vlla huius fluoris cauſa in medium afferri poſsit extrinſeca, humores, ſiue in vtero, ſiue in aliqua corporis parte, putredinem contraxiſſe verendum erit; &, cum vt plurimum tota fluxus ratio ex tenuis, ſeroſiq. humoris cum ſanguine admixtione proficiſcatur, ſi ab hoc vitio totum corpus ſanguineum uindicemus, vteri virtute nullo ſtimulo coacta, aut laceſsita, huiuſmodi fluor ſua ſponte ſubſiſtet, &, ſi quampluṛima ab ijs, qui de hac re ſcripſerunt, quæ hos humores euacuent, proponũtur medicamenta, nullum tamen ſecurius, magisq. accommodatũ reperiri arbitror, quã aut rhabarbarum leniter torrefactum, & in puluerem redactum cum corticibus myrabolanorum, & exiguo agarico cum ſero caprino in potu exhibere, aut zaccharo roſaceo admiſcere: id enim medicamentum non ſolum corpus à tenuibus, ſeroſisq. humoribus expurgat, ſed viſcera corroborat, & ſatis commode adſtringit; hoc per epicraſim exhibito medicamento, decoctionibus cicorij, plantaginis, portulacæ, endiuiæ, acetoſæ; ſyrupis de roſis ſiccis, myrtini, citoniorum, plantaginis, & alijs infrigidantibus, & adſtringentibus, per interualla vtatur. Incraſſatis, maturatisq. humoribus, inſtitutaq. debita viuendi ratione, in meliorem formam, & ſanitatis ſtatum mulieres reuocabuntur. Sed, corpore hac ratione ſæpius expurgato, nec propterea ceſſante fluore, ad localia, & in vterum infuſa, aut peſſaria immiſſa, & pubi, & inguinibus exterius applicita, deueniemus.

Quòd ad victus rationem ſpectat, Matthæus de Graſſis in menſtruorum fluore cibos, & potus actu frigidos aſſumendos eſſe præcipit. Verum, cum ex nimio fluore virtutes omnes, & præcipue ventriculi maxime debilitentur, calorque innatus diminuatur, niſi vẽtriculus, aut hepar ſummo æſtuet ardore, & in ambitu totius ferueant humores, Matthæi præceptis minime inſiſterem: ſed, pro ægroti conſuetudine, morbi forma, regionis, temporisq. conſtitutione, tum potus, tum cibos exhiberem. pro potu vtatur aqua cholibeata,

beata, cum ſyrupo de acredine citri, de limonibus, aut ribes, diluta, ſeu in qua non nihil maſticis fuerit diſſolutum. In iuſculis vero, qui bus fercula parantur, milium, panicum, plantago, portulaca, ſint prius incocta, pedes vituli cum ſumac, agreſta aceto ad eorũ diſſolutionem concocti, & in cibis aſſumpti humores incraſſant, & fluores ſiſtũt. Neque, poſt multa adminiſtrata remedia, pulueres ex cornu cerui, bolo armeno, ſanguine dragonis, alijsq. adſtringentibus prætermittantur. Mulier, menſtruo fluore laborans, ab omni corporis, animiq. motu, & coitu prohibeatur: loco iaceat temperato, ad frigidum potius vergenti: lineæ petiæ, quæ ad ſanguinem recipiendum intra vuluam immittuntur, ſæpe mutentur; tum, vt, an morbus remedijs ceſſerit, inſpici poſsit, tum etiam, quia diu in ipſius vteri ductu retenti humores excalefaciunt, & partem inflammant, & putridi ex ijs, & corrupti ſpiritus ad vterum eleuantur.

27 Sed, ſi ex partu nimij, & ſupernacanei menſtruorum fluores contingant, primo ipſius mulieris habitum, & conſtitutionem Aſsiſtens contempletur; deinde dies à partu, quibus mulier, vt ſana degat, ex purgari ſolet, ſecum perpendat: demum, ſi ex huiuſmodi euacuatione talia purgentur, qualia purgari oportet, an conferat, & leuiter ferat, præcognoſcat. Hip. lib. 1. de morbis mulierum dicebat, ſi feminã pepererit, in quadraginta & duobus diebus, diuturniſsime purgatio fiet; ſine periculo, ſi vigintiquinque diebus purgetur: poſt maſculi vero partum diuturnior fit in triginta diebus extra periculũ eſt, quæ in viginti diebus contingit, & eadem ratio eſt in ijs, qui poſt primos menſes abortum faciunt. Sed, ſi quæ hoc tempore fiunt purgationes, appetitum deijciant, vires proſternãt, vel animi deliquiũ, conuulſionem, aut ſubitam mortem minentur. hæc omnia ex 5. Aphor. 54. cũm mala ſint, Medicos, & Aſsiſtentes ad ſui curam trahunt. Neque propterea, vt in ſuperioribus præcepimus, omnino firmandi, conſtringendiq. ſunt: ex eorum enim retentione, vtero inflammationes, eryſipelata, & alia morborum genera ſuperueniũt. immoderata ſolum euacuatio, ne vires deijciat, eſt cohibenda. id brachiorum, & ſuperiorum partium frictionibus, vinculis, iuſculis, in quibus roſæ ſiccæ, plantago, endiuia fuerint incocta, carnibus aſſis, &, ſi cibum capere non poſsit, ex aſsis carnibus ſucco extracto, potu aquæ, in qua ſæpe fuerit aurum exſtinctum, & maſtix diſſoluta, immodico illi fluori frenum imponemus. Sed, ſi leuibus hiſce medicamentis fluor ille immoderatus cohiberi minime poſsit, deijcianturque vires, erit ad extrema remedia confugiendum. ſatius enim eſt, vtero, totique corpori menſtruo ſanguine compreſſo malum aliquod inferre, quam ſine præſidijs, manifeſto vitæ periculo, ægras

mulieres committere. Neque in epithematibus, fotibus, ceratis, & ijs, quæ virtuti vim addunt, parteſque confirmant, adminiſtrandis, aſsidua deſit Aſsiſtentis induſtria. tanti enim eſt, extremo laborantibus ſubuenire, quanti fere vitam ipſam reſtituere.

De Officio Aſsiſtentis in Menſium ſuppreſsione. Cap. XXV.

NEc minora mulieribus ex immoderato Menſium profluuio, ac ex eorundem ſuppreſsione importantur incommoda: etenim, præter acutiſsimas febres, quæ ſæpe ex menſtruorum retentione accenduntur, ſanguis ille ſuperuacaneus, & cœnoſus, intercluſa ſibi ex vtero via, in ceteras corporis partes regurgitans, non ſolum ſanguinis molem labefactat, virtuteſque naturales corrumpit, ſed etiam in principem ipſius cordis ſedem irrumpens, ſi non ad ſubitum interitum ægras perducat, eas ſaltem ſuffocare, & ſpiritum cōprimere videtur. ideo dicebat Hip. 5. Aphor. 57. Mulieribus, menſtruis immodicis aduenientibus, morbi contingunt; ſi non aduenerint, morbi ab vtero fiant. hinc fetidi, & praui colores, hinc vertigo, hinc reſpirandi difficultas, hinc hydrops, hinc appetitus deperditio, hinc articulorum, hinc nephritici, & mentiti colici dolores emanarunt. Et ideo ad Aſsiſtentis munus ſpectare videtur, præuidere, quando huiuſmodi abolita euacuatio mulieribus detrimento eſſe poſsit. quod haud facile erit intelligere, niſi mulieris ætatem, corporis conſtitutionem, loca, in quibus commoratur, & ipſius anni tempora perſpecta habuerimus. Nam, etſi vt plurimum mulieribus ante decimum quartum ſuæ ætatis annum euacuatio hæc non aduenit, in pluribus tamen locis, vt Romæ, vndecimo, & duodecimo anno mulieribus otio degentibus, pluribus, optimiſque alimentis vtentibus, mēſtruas purgationes ſuperueniſſe; in montuoſis, & aſperis regionibus, & mulieribus ſummo labore defatigatis, ante decimum octauum annum vix apparuiſſe accepimus. Eadem præterea ratione, nonnullis ante quadrageſimum annum ſine aliquo detrimento menſtrua defeciſſe, in alijs vſque ad ſexageſimum annum ſe extendiſſe. Vtero etiam gerentes, & ſi eo tempore ſemper aliqua parte, aut dolent, aut aliquo ſymptomate conqueruntur, cum naturæ inſtituto, vt fetui alimentum præſtent, ijs menſtrua ſupprimantur, vt plurimum naturalis dicetur eſſe ſuppreſsio. Eadem ratione lactantibus, ſi menſtrua deficiant, cum ea ad mammas, lactis ſuggerendi gratia, demandentur, id ſagacis naturæ beneficio euenire arbitrabimur.

bitrabimur. denique, quotieſcumque euacuatio hæc alio conuertitur, neque aliqua detrimenti ſigna præmonſtret, id ipſi naturæ adſcribemus: neque nos naturalibus rectis functionibus, & operibus obijcere, aut vmquam opponere debemus: immo recte, & commode ſua munera molienti, quo ad fieri poteſt, præſto erimus. Hæc ita perpendat, animoque euoluat Aſsiſtens, vt, in quibus menſtruorum purgationes, numquam cœperunt, aut ætatis ratione aboſentur, aut fetus in vtero geſtatione, aut lactis exhibitione deficiunt, eas prouocare nec audeat, nec tentet. In ijs tantum mulieribus, quibus, ex menſtruorum abolita euacuatione, enarrata ſuperius imminent mala, curationem aggrediemur. Menſtrua, vt refert Gal. libro de humoribus com. 2. tres potiſsimum ob cauſſas ſupprimuntur; vel ob partis expurgantis, ideſt vteri imbecillitatem, aut ob vaſorum anguſtiam, aut ob ipſius ſanguinis, totiusque corporis vitiũ. partis imbecillitatem, intemperiei; venarum anguſtiam, obſtructioni corporis; vitium, nimiæ exercitationi, morbo diuturno, tenuiori victui, aut reuulſioni, deriuationi per alias vias inſtitutæ; ſanguinis prauitatem, eius craſsitiei, lentori, copiæ, exiguitati accepta retulerunt. Quæ quidem omnia ideo ab Aſsiſtente cognoſcenda ſunt, quoniam horum vnumquodque diuerſam ſuſcipit & curationem, & medicamentorum adminiſtrationem. Nam, vt à partis imbecillitate exordiar, cum huius cauſſa fuerit intemperies, & hanc vt plurimum humorum craſſorum congeries comitetur, niſi primum copia tollatur, neque hæc, neque illa amoueri poterit. frigidam in vtero contractam intemperiem calidis medicamentis ipſi vtero adhibitis, in naturalem æquitatem, niſi prius humores incidantur, attenuenturque, fruſtra reuocare tentabimus; & ideo à partis intemperie ad humorum vitium curationem conuertat Aſsiſtens: &, vt in ceteris morbis ſæpe monuimus, per leniens medicamentum, quale eſt diacatholicon, aut diaſebeſten, cum ſpeciebus hieræ, aluo emollita, ſi ſanguinis copiam in toto corpore eſſe iudicemus, ex baſilica copia hæc deminuatur; ſin minus, ſed ſolum vterus plurimo, & excrementicio abundet ſanguine, pro ipſius Hip. & Gal. inſtitutis, talarem interiorem venam ſecabimus. &, quoniam in pluribus mulieribus, vel ob carnis molem, vel ob venarum tenuitatem, prima fronte minime apparent, pes in calentem aquam immittatur. nam ex eius aquæ caliditate ſanguis ad partem attractus venam in tumorem attollet, quæ deinde facile ſecabitur. Sit autem huius venæ ſector apprime exercitatus. Nam, cum in his locis muſculorum tendones finiantur, ſi ij pungantur, ſummos afferent cruciatus. Gal. vero, ſi vena ta-

laris inueniri non poſsit, eaſdem partes lenibus vulnuſculis affe-ctas eadem commoda mulieribus aſſerit præſtare. in hiſce etiam vulneribus infigendis ſumma ſit Aſsiſtentis cura, vt ſector, tuto, cito, & commode, & quam requirit ſanguinis præſtet euacuationem. Quo vero tempore ſectio facienda ſit, optime docet Galen. libro de ſanguinis miſsione, cap. 18. inquit enim: Vbi id facere volueris, temporis conſueti mulieri circuitus, tribus quattuorue diebus ante vertas; aut vena inciſa, aut ſcarificatis talis vnius cruris paullulum euacuato; deinde poſtera die ſimiliter facito; in crure altero in his diebus, in quibus vacuas, & ante eas quattuor, aut quinque extenuantem victum procures. & in reliqua, quæ ſubſequitur, oratione, methodum ab eodem Gal. docemur, qua facile retenta menſtrua prouocemus. etenim, cum ſæpe ex vijs craſsis, viſcidiſque humoribus obcluſis, menſtruorum euacuatio comprimatur, exſpectato tempore, niſi aliqua maior vrgeat neceſsitas, quo natura huiuſmodi euacuationem moliri ſolebat, quinque diebus ante potiones, quæ incidendi, attenuandi, viaſque reſerandi, vim obtinent, ieiuno ſtomacho potandas inſtituat. Galen. eodem loco in initio neptam, pulegium in puluerem redacta, ſeu in mellicrato coacta, in ciendis menſtruis ſummopere commendauit. Ab ijs Aſsiſtens poterit inchoare; ad validiora poſtmodum, ſi hæc non profuerint, adſcendere. huiuſmodi ſunt dictamum, ſabina, & alia innumera, quæ hic recenſere, inſtituti noſtri limites præterijſſe iudicarer. Et, quoniam humores hunc affectum procreantes diuerſi generis, vt plurimum, heterogeneique ſunt, nec ita facile à natura euincuntur, eos per epicraſim euacuare maxime præſtat. Ideo per quinque dies, poſtquam has potiones exhibuerimus, medicamento illo amaro, vt ipſius Galeni verbis vtar, hiera videlicet, &, ſi pituita prædominetur, cum agarico admixta, humores illos imminuemus: iterum deinde, vel eadem aperientia cum mellicrato decocta, vel in iure cicerum rubeorum in tenuiſsimum puluerem redacta, inſtituemus. Si vero purgationis menſtruorum inſtet tempus, & tres, quattuorue fuerint elapſi dies, ſine aliquo futuræ euacuationis ſigno, poſt exhibita denuo eadem medicamenta, cucurbitulas coxarum parti interiori, deinde prope ilia, ſæpe, ac ſæpius imponemus. neque peſſaria ex ijs comparata, quæ aperire, attenuare, incidere, &, propria vi, menſes ciere conſueuerunt, prætermittantur. Affectus enim hic, quo longius protrahitur, eo erit curatu difficilior. peſſaria proprie nu-

ptis, virumque expertis, immittuntur. ea rotunda, teretique figura fiunt, longitudine quattuor digitorum, craſsitie vnius, aut minus, prout mulieres ferre poſſunt, & diligenti, accuratoque Aſsiſtenti videbitur, ea lana, ſeu bombace, rubeo ſerico obuoluta in ſucco, aut liquore aliquo madefacta, aut tunſis herbis ſerico exceptis, & in eam quam diximus formam redactis, aut ex melle optime percocto, & in eo medicamentis, quibus vti velimus, admixtis, peſſaria comparantur, quæ pulueribus hieræ, cyperi, euphorbij, ariſtolochiæ, hyſſopi, origani, calamenti, ſabinæ, trociſcorum de myrrha, & aliorum perſpergantur: ex medulla etiam ceruina peſsi, vel mercuriali, terebinthina, & agarico, intra vuluam inditi, ad prolicienda menſtrua componuntur. verum ea, quæ nimis calida ſunt, ſi diutius retineantur, verendum eſt, ne ipſius vteri collum exulcerent; & ideo, antequam immittantur, vnctuoſo, & viſcido aliquo liquore madefiant, ſæpeque immutentur, neque noctu in ſomno retineantur, niſi ex leuiſsimis medicamentis fuerint conflati. Virginibus vero pro peſſarijs naſchalia appellata, ex bombace in aliquo vnctuoſo, bituminoſoque liquore madefacta, & puluerem dictorum medicamentorum accepta, pudendi oſculo adhibita, eadem fere præſtant auxilia. omnia præterea aromata, quæ ſuauem inſpirant odorem, tum per ſuffitum, tum per peſſaria adhibita, retentos menſes elicere valent. & ideo dicebat Hip. 5. Aphor. 28. Aromatum ſuffitus menſtrua cient, & ad multa vtilia eſſent, niſi caput peterent: cumque ſuffitus ad menſtrua cienda videantur eſſe comparati, diligens Aſsiſtens, aliquo tenaciori pharmaco, quod ipſum etiam odoratum ſit, vt eſt myrrha, laudanum, ſtirax, aromatum pulueres excipiat, & in pillulas redigat, quarum vna ſuper prunas ardentes iniecta ſuffumigium præſtabit. Verum, vt intra vterum ſuffumigij ſpiritus recipiantur, in olla, operculo, cui oſculum relictum ſit clauſum, ardentes carbones includantur. quibus prædictam pillulam ſuperponat, deinde infundibulum operculi oſculo inditum, & intra vuluam immiſſum, aromatum vapores, ſpiritusq. recipiat. mulier ſub vmbilico optime linteis circum circa obuoluta, ac adſtricta, ne ſuffitus vapores caput petant, coxis optime expanſis, ex pillula ardentibus carbonibus iniecta, aromatum ſuffitus intra vterum recipiat. hæc ſemel, aut bis in die per dimidium horæ, ſeu plus, minuſue, quoad mulier perferre poterit, adminiſtrentur. pulueres vero aromatum, ex quibus pillulæ parantur, fiunt ex ligno aloe, cinnamomo, gariophylis, zibetto, muſco, trociſcis de gallia muſcata, galbano, thure bdellio, radice ariſtolochiæ, artemi-

artemiſiæ,ſabina,& quam pluribus alijs. Inſeſsiones etiam,ex quibus ſpiritus decoctionum ſimplicium aperientium emittuntur maxime à præclariſsimis Medicis commendantur. ijs etiam, ſi vti velit,vaſe,quod ad ſtercora recipienda in latrinaria ſella adhibemus, huiuſmodi decocta calida excipiuntur. mulier in ſella latrinaria ſedens ipſius pudendi labra aliqua re aperta contineat,vt illius decocti vapores in ipſum vterum ingrediantur. Tina etiam calida aqua, in qua rubea tinctorum, pulegium, calaminta, artemiſia, origanum, hyſſopum, camomelum, ſticados, ſaluia, aliaque huius ordinis medicamenta ebullierint, ad vterinos affectus ex menſtruorum ſuppreſsione perſanandos inſtituta fuit. in hanc mulier immiſſa vmbilico tenus tamdiu commoretur, donec partes vteri incaluerint, & ſudore maduerint. Animaduertat tamen Aſsiſtens, ne ex nimia aquæ caliditate, & diuturna in ea mora, mulier animi deliquio corripiatur. ſint igitur ea,quibus mulier refici poſsit, lintea, & alia, quæ ad hunc vſum neceſſaria eſſe videbuntur, quam optime, & perbelle parata. Ratio autem victus, Galeno ſuaſore,ſit incidens, & attenuans. parentur itaque fercula ex capparibus, petroſelino, feniculo, aſparagis, lupulis,cum quibus etiam carnes poterunt elixari. caro ſit pullæ, pipionum, domeſticorum faſianorum, paruarum auium, vituli elixa potius: iuſcula cinnamomo, gariophylis, croco condiantur. Vinum ſit album, odoratum, perſpicuum. ante cibum moderata exercitatio, qualis mulieribus conuenit: ciborum parcitas: quotidiana excrementorum deiectio: animi moderatio: ſi liceat, cum viris, quos ſumme diligit, frequens coitus: tempus hibernum, ſeu æſtiuum ad menſes ciendos ſunt maxime accommodata.

De Aſsiſtentis Officio in Uteri præfocatione. Cap. XXVI.

NOnnumquam Mulieres, vteri vitio, ita animo linquuntur, vt, motu omni, & ſenſu amiſſo, & reſpiratione compreſſa, ſemimortuæ iaceant. hos affectus Gale.6.de locis cap.8.& Aetius lib.16. & omnes paſsim auctores vteri præfocationem appellant; & ita graui acceſsione aliquando mulieres corripiuntur, vt, mortuæ, an viuæ ſint, difficile dignoſcatur. Quamobrem in paroſiſmo, ſiue Medicus,ſiue Aſsiſtens aduocatus,viuat mulier nec ne, ante omnia præcognoſcat,præter pulſus,multi ex vaſe aqua pleno,regioni ventriculi impoſito, ſi aqua aliquantulum moueatur, eam vitam agere; ſi

re; ſi diu detento aqua nullo motu agitetur, vitam cum morte commutaſſe, arbitrantur: alij fetidos odores naribus indunt. Sed ſternutatoriis potius de mulieris vita cognoſcendum. Si eam viuere certo fuerit præmonſtratum. Vterus, cum inſuaues odores abhorreat, & deteſtetur, ſuauibus autem maxime recreetur, ad eum ad partes ſuperiores eleuatum in proprium locum repellendum, ruta, caſtoreum, ſagapenum, capilli, & coria combuſta, aliaque, quæ plurimum fetent, naribus imponantur; inferius, vt, ſuffumigij ſuauitate allectus, in propriam ſedem reuertatur, ex aromatibus ſupraſcriptis ſuffitus parentur, neque frictiones, acri clyſteres, vincula, partibus inferioribus, cucurbitulæque omittantur. Vtero in naturalem ſitum reuocato, & mulieri communi auræ reſtitutæ, in huius affectus cauſsæ cognitionem incumbat Aſsiſtens. quo enim diutius protrahitur affectio, eo magis ingraueſcit, & mulieres in vitæ periculum inducuntur. Hippocr. in libro de morbis, & de natura mulierum, vterum in corpore, modo in dextram, modo in ſiniſtram partem, modo ſuperius recurrere, modo in coxam decumbere dicebat. ſi ad partem ſiue dextram, ſiue ſiniſtram moueatur, dolores infert grauiſsimos; ſi in coxam prolabatur, in ipſa coxa vna cum dolore prope inguina tumorem excitat; ſi ſurſum tendat, diaphragma ita comprimit, vt reſpirationem penitus auferat. Horum ſymptomatum cauſſas omnes fere, qui de re medica ſcripſerunt, aut in ſeminis redundantiam, quod, cum in vterum confluat, ibique corrumpatur, ipſum vterum afficit, prauis, exitioſisq. ſpiritibus replet, qui, exitus viam minime ad inueniẽtes, vterum inficiunt, & laceſſunt, vt eum cogant, modo huc, modo illuc per corpus vagari, aut in menſtruorum ſuppreſſam referunt euacuationem, ex Hipp. primo de morbis mulierum, ſi menſes ſtatuto tempore non prodierint, & vterus induruerit, dolor, ilia, & vtriuſque lateris mollitiem occupauerit, femora, & pedes doluerint, venter attollatur, totumq. corpus horrore afficiatur, menſtruorum retentioni adſcribitur. quod cum ita ſe res habeat, idem erit in hac, ac in ſuperiori, Aſsiſtentis officium. Si vero ex corrupti ſeminis copia mulier in vteri incidat ſuffocationem, ſi virgo, & per Chriſtianam liceat religionem, ſtatim cum viro matrimonio coniungatur: ex frequenti enim coitu ſemen illud corruptum extra amandabitur. At, ſi mulier, religionis, aut alterius rei vinculo obligata, cũ viro coire minime poſſit, inſtituta prius debita ſanguinis euacuatione, & corruptorũ humorũ purgatione, exhibebit Aſsiſtens ea, quæ vel ſemen imminuũt,

vel alio diuertunt. puluis ſeminis agni caſti ad Drag.j. cum zaccharo roſaceo ieiuno ventriculo ſumptus, & eius folia viridia, ſæpe renibus, genitalibusque impoſita, dicuntur ſemen imminuere. illud, quod iam in vterum concluſum, corruptumque erit, obſtetrix, digito inuncto oleo liliorum alborum, aut de ben, os vteri titillando, foras propellet. Nihil tamen iis aptius, quam a carnibus, ouis, vino, amygdalis, piſtacchiis, aliisque ſemen augere valentibus, quo ad fieri poteſt, abſtinere. ſumat in cibis lactucam, cucurbitam, cicorium, & omnia, quæ implent, & parum nutriunt. Hic de vteri procidentia, de partus incommodis, de abortu; de ſecunda, aut mortuo fetu extrahendis dicendum eſſet. Verum id muneris, cum obſtetricibus, & chirurgis demandetur, & omnes, qui de morbis mulierum ſcripſerunt, ſingula, quæ ad eos ſpectare videbantur, quam doctiſsime edocuerint, ne eadem decantem, & in alienam meſſem ingrediar, hæc omnia ſilentio præteribo.

De Aſsiſtentis Officio in Podagra, & Articulorum affectibus. Cap. XXVII.

SEptem ſunt, ſi Hip. de locis in homine credimus, a capite in reliquũ corpus humorum profluuia: nã, vt optime idẽmet aſſerit, caput toti corpori, tamquam cucurbitula, impoſitum, omnium humorum fuliginoſa ſuſcipit excrementa: quæ cum nec euincere, nec continere poſsit, in reliqua corporis membra detrudit: & propterea merito idem Hippocr. omnium morborum cauſſas ipſi capiti retulit acceptas. podagram, articulorumque cruciatus, omnes, qui de re medica bene ſentiunt, a capite, tamquam a primo omnium principio, emanaſſe arbitrantur. quamuis enim Hippocrates eunuchos, & mulieres ante menſes deperditos minime podagra ſcribat laborare; hanc diuini ſenis ſententiam partis potius recipientis, quam mandantis vitio adſcribendam eſſe iudicabimus. Nam, cum immodica venere ſumma fiat totius corporis agitatio, & magna pars innati caloris deperdatur, articulos debilitari, crudorum humorum copiam procreari, totum corpus frigidam intemperiem contrahere, omnes denique virtutes labefactari, neceſſe eſt. In mulieribus vero, quæ omnes in victu perpetratos errores continua vniuſcuiuſque menſis humorum euacuatione corrigere, & emendare conſueuerant, poſtquam menſium purgationes, vel ſuapte natura, vel aliis de cauſ-

ſis recentæ fuerint, iidem in articulos, aliasque corporis partes humores per vterum expurgari conſueti demandantur; & ideo dicebat Gale. in comm. eiuſdem Apho. ſui temporis eunuchos ob immoderatam victus rationem Hippocratem mendacio notaſſe. eſt itaque artitidis humorum a capite in articulos profluuiū: quod ſi in pedes decumbat, podagra; ſi in manus, chiragra; ſi in ſchiam, coxendicus dolor; ſi in reliquos articulos, affectus articulorum nominatur. Hoc ſymptomate homines correptos, Aſsiſtentis partes erunt, in initio ſola tenui victus ratione, excrementorumque euacuatione, continere. nam, quo fortiori medicamento humores agitantur, eo maior ad eas partes fiet eorum defluſus. Abſtineat igitur a vino, onis, carnibus, ceteriſque omnibus, quæ maxime nutriunt: &, cum autumnali, hibernoq. tempore articulorum morbi, vt plurimum, reuertantur, dicebat Gale. ſe, antequam conſtitutum tempus aduentaret, ſanguine euacuato, quam plurimos ab huiuſmodi cruciatibus liberaſſe. Poterit itaque Aſsiſtens, ſi vires, ætas, & tempus patiatur, humores in toto corporis ambitu redundantes venæ ſectione euacuare. ſi pedes afficiantur, vel cephalica, vel interna eiuſdem lateris vena ſecetur: ſi vero coxendicus dolor vrgeat, eiuſdem cruris talaris exterior, poſt communes euacuationes aperiatur: vel, ſi vena non inueniatur, talus ipſe pluribus vulnuſculis afficiatur; ſi ceteri corporis articuli laborent, eiuſdem lateris interna incidatur. ceterum, cum ex eodem Hipp. de locis in homine, ventriculus capiti, caput toti corpori humores demandet, ſi ventriculum, vt ſuo in coquendo munere fungatur, confirmemus, ceteræ corporis partes ab omni fluore, & incommodo vindicabuntur. Victu itaque extenuanti, exſiccantique vtatur is, qui podagra, articuliſque laborat: ſummopere ſe exerceat, laboribus defatigetur; a venere, & vino abſtineat; ea, quæ dolorem leniunt, articuloſque confirmant, omnino abhorreat. nam de theriaca ad Piſonem dicebat Galen. eos, qui podagram curare auſi ſunt, longe grauiora mala intuliſſe. Sed nonnumquam ita grauibus, acerbiſq. anguntur doloribus, vt ſomnum capere, loco ſtare neſciant ægrotantes. Ideo, ſi de virtute, & maiori affectu vereamur, emplaſtrum ex pane trito in lacte infuſo, & oleo roſaceo cum vitello oui admixto, loco maxime dolenti, ſi rubet, & calet, frigidum applicabimus. At, ſi in parte exteriori nihil appareat, ſed in ipſo articulo mali cauſſa reſideat, iis potius, quæ foras euocandi vim obtinent, dolori medebimur. & ideo in coxendico dolore cucurbitulam ſæpe prope partem dolentem infixam, corpore prius euacuato, pfuiſſe comperimus. eadem etiā ex rubifican-

tibus,

tibus, & ſyrapiſmatibus in huiuſmodi affectu commoda percipimus. Illud autem animaduertat Aſsiſtens, ne hæc, fluentibus adhuc in partem humoribus, adhibeantur. Noſtræ ætatis Medici quã plurimi decoctis ligni guaiaci, ſalſæ perilliæ, cynæ, morbos articulares curare nituntur. hæc, etiam ſi ad totius corporis humiditatem tolerandam, caput, articulosque confirmandos maxime valeant, ita tamen contumax hæc affectio cenſetur, vt, quos ſemel corripuit, niſi ea, quæ ſuperius enarraui, ad vnguem obſeruentur, reliqua omnia medicamenta fruſtra admiſtrentur. Motus vero, cum dolore detinentur ægri, cum ex eo dolor augeatur, & ex dolore maior humorum copia ad partem trahatur, minime conueniet. dolore vero non nihil lenito, tum ad articulos corroborandos, tum ad materiam in parte contentam digerendam, nihil motu vtilius. Verum, cum Principes, & ij, qui in otio degunt, pluribusque vtuntur alimentis, hoc affectu paſsim corripiantur, plurima tum per os aſſumenda, tum exterius applicanda remedia inuenta fuerunt. ſed, cum dicat ille, Soluere nodoſam neſcit medicina podagram, in ijs enumerandis fruſtra tempus conterere, & Aſsiſtenti noſtro nihil, quod ad ægri vtilitatem ſpectaret, demonſtraſſe, iudicarer.

De Aſsiſtentis Officio in Conualeſcentibus regendis. Cap. XXVIII.

SI ægrotantes ad ſui curam, atque cuſtodiam non ſolum Medicis erga eos opportuna facientibus, ſed etiam Aſsiſtentibus, & alijs rebus, quæ eis deforis adueniunt, opportune adhibitis, opus habent; ijdem, ſi a morbo conualeſcant, tanta & in corporis mole deperdita, & viribus reparandis egent Medicorum, Aſsiſtentiumque induſtria, vt minimus error ab ijs perpetratus, maiora, quam ſuperior affectus, afferat incommoda. In primo enim morbo, cum vires vigerent, & ſanguinis miſsione, & purgatione, & alijs reuulſionis, deriuationisque generibus contra morbi cauſſam ire licebat. at in recidiua, cum hæc omnia fuerint paullo ante adminiſtrata, & vires ex ſuperiori affectu ita proſtratæ, vt per eas nullum ex extremis remedijs tentare audeamus, ægri, omni præſidio derelicti, ac deſtituti, in manifeſtam perniciem, & interitum labantur, ac corruant neceſſe eſt. propterea ſumma in conualeſcentium victu debet eſſe Aſsiſtentis cura. nonnulli enim ex his,

qui a morbo reuiuiſcunt, ita in initio appetunt, vt nunquam cibo expleantur: alij vero, etſi longo tempore morbo fuerint immunes, & vacui, iisq. ſum mo apparatu condiantur alimenta, vix tamen quidquam aſſumere valent. quæ cum Aſsiſtens intelligat, vtriſque recidiuæ periculum imminere vereatur. Nam, ſi is, qui nimis appetit, cibum aſſumens, non corroboretur, eum vel copioſiori vti alimento, vel euacuatione indigere iudicabimus. At, ſi in conualeſcentibus prorſus vis appetendi deperdita ſit, indicium eſſe dicebat Olerius 2. Apho. 8. in corpore eſſe adhuc morbi reliquias, quæ impediant, ne natura appetat. Itaq. in conualeſcentibus, cum calor languidior ſit, quam tantum cibi conficere poſsit, ſi alimenta plurima ſumantur, vel calor ille imbecillis a copia alimentorum ſuffocabitur, vel inconcocta deſcendent alimenta, viasq. ita obſtruent, vt noua humores afficiantur corruptela. Manutenendi igitur ſunt ab Aſsiſtente cōualeſcentes, vt, eorum calore debili exſiſtente, parum, & ſæpe nutriantur ij, præſertim quos ſumma vrget comedendi cupiditas: alij vero, quorum appetendi vis deiecta eſt, cum humorum reliquias adhuc in corpore contineant, antequam humores illi medicamento aliquo fuerint expurgati, ad cibum aſſumendum minime cogendi ſunt. Corpora enim non pura dicebat Hip. 2. Aphor. 9. quanto magis nutries, tanto magis lædes. & Gal. 7. Met. c. 6. dicebat, Medius debet eſſe, qui ſanorum proprius eſt, & ægrotantium victus, potus etiam cibo aſſumpto correſpondeat, nec poſt cibum, ſiue aqua, ſiue vinum ſit, quidquam bibendum. Vina, quæ conualeſcentibus conueniunt, ſint aquoſa, quæ nec caput tentent, nec aliquod valeant præſtare incommodum; ſi ſitiant, vel os abluendum; vel, ſi potandum, aliquid cibi prius aſſumant, dummodo, quæ præceſſerunt alimenta, iam in inferiorem aluum deſcenderint. Neque ſolum alimentorum, & potionis cura ab Aſsiſtente eſt habenda; ſed omnium eorum, quæ conualeſcentibus detrimento eſſe poſſunt. Si enim aluus, quemadmodū ſæpe contingere ſolet, nimis exſiccata ſit, vel molli clyſtere eſt lenienda, vel iuſculis, prunisq. elixis prima menſa aſſumptis, eſt molliēda: ſi vero nimis fluat, cum adhuc humorum reliquias ſupereſſe ſignificetur, niſi vires debilitet, eo vſque relinquenda eſt, donec omnes penitus fuerint euacuati humores. at, ſi de viribus vereamur, cum, vt plurimum, in conualeſcentibus alui fluores, ex ventriculi, virtutiſq. concoctricis imbecillitate, oriantur, fouendus eſt prius ventriculus, cum abſynthio, & menta; deinde leniendus, vel oleo abſynthino, vel maſticino, & aliis, quæ viſcera corroborent; per os autem exhibeantur, quæ virtutem concoctricem confirmare, ac moderate adſtringere

vaelant.

valeant. Aeri autem nec nimis frigido, aut calido ſe conualeſcentes exponant. cũ enim corporis inſenſibiles meatus in iis adaperti ſint, facile frigus, caloremq. intra corpus recipient: in motu vero, cum corpus calefiat, temperantia, & moderatione vtantur. noctu dormiant, interdiu euigilent. Venere omni, cum ea maxime virtutem labefactet, iis prorſus interdicatur. Enumeratis vero diebus, quibus ægrotauerint, tot etiam erunt in debita viuendi ratione continendi: quibus abſolutis, & priſtina ab iis ſanitate recuperata, ab omni munere, & honore Aſsiſtentes liberantur.

FINIS.

INDEX.

A

Abſynthium, & eius decoctum. 136
Acceſſus Aſſiſtentis ad ægrum qualis. 7
Acetum oculis contumax 113
Accidentia ægri animaduertenda 7
Accidentia quo grauiora, eo minor cibus 13
Actio in reagendo etiam patitur 13
Adſtringentium vſus in febri peſtilenti 93
Aegri ſua crimina confiteantur 10
Aegri ſermones cum Medico 7
Aegrotans vno Medico egeret 54
Aer, quem æger inſpirat, ſit purus 8
Agnina 117
Alui fluores ex quibus ſiant 67
Aluus in febribus quotidie leniatur 77
Aluo fluente quiete vtendum 67
Alui fluor in conualeſcentibus 170
Alui fluor in pleuritide 122
Amygdalarum vſus 14
Ancipiti occaſione quid agendũ 12
Animi deliquij curatio 89
Animi deliquium ex euacuatione 89
Animi deliquium in vena ſecanda 22
Animi motus quãtum poſſit 89.90
Animi deliquium ex medicamẽto 31
Apoplexia 105
Apparatus externorum in febribus 77
Aqua qualis debet eſſe 14
Aqua frigida potus poſt ſanguinem miſſum 86
Aqua quo modo debeat coqui 14
Aqua tetutij ad quid 34
Aqua cholibeata lienoſis 143
Aqua bibenda in peſte qualis 93
Aqua tetutij in alui fluore 150
Arabum opinio in cibo exibendo in febre quartana 80
Arabum opinio in fouendo hepate 136
Arteriarum ſectio 22
Articulorum morbi 167.168
Aſcitis cauſſa 139.140
Aſma 123
Aſmati nocua 123
Aſmatis curatio 123
Aſſiſtendi cura quanti ſit 73
Aſſiſtens niſi medico obediat, quid 1
Aſſiſtentis nomen, quid 2
Aſſiſtens qualis eſſe debeat 4
Aſſiſtentis deſcriptio 4
Aſſiſtens quid debet ſcire 4
Aſſiſtẽtes omnibus conualeſcentibus neceſſa-

neceſſarij 7
Aſſiſtens quid ex ægro cognoſcat 7
Aſſiſtẽs quid erga domeſticos ægri 8
Aſſiſtens in collegijs primo loco dicat 9
Aſſiſtentis curatio in collegijs 9
Aſſiſtentis munus, dum Medici de morbo diſſerunt 9
Aſſiſtentis publicorum Hoſpitiorum error 54
Aſſiſtens cum Medicis verſetur 55
Aſſiſtentis Hoſpitiorum munus 55
Aſſiſtentis officium in ſudore 66
Aſſiſtens orator ſit 70
Aſſiſtentis officium in ethica feb. 71
Aſſiſtentis officium in ſecanda vena 20. 86
Aſſiſtentis officium in exhibendo medicamento 30
Aſſiſtentis officium in febre quartana 82. 83
Aſſiſtentis officium in peſte 91. 92
Aſſiſtentis officium in morbo Gallico 93. 94
Aſſiſtentis officium in dolore cap. 98
Aſſiſtentis officium in melancholia 108. 109
Aſſiſtentis precautio in morbo Gallico 96
Aſſiſtentis cura in pleuritide 120. 121
Aſſiſtentis cura in palpitatione cordis 129
Aſſiſtentis officium in cholerica paſſione 130. 131
Aſſiſtentis officium in affectu hepatis 135
Aſſiſtentis officiũ in alui fluore 147. 148. 149
Aſſiſtentis officium in præfocatione matricis 165. 166
Aurium affectus qui 116
Auris doloris curandi ratio 116

B

Balneum ethicis commodum 72
Balnei parandi ratio 72
Balneum olei 106
Bezoartica quando exhibenda 88
Bilis redundantia ad os vẽtriculi 17
Bilioſi non ſunt diu ieiuni continendi 75
Borago in affectu melancholico 113

C

Cacochymia etiam per ſanguinis miſſionem ſanat. 19
Calculus in Veſica 154. 155
Calculi generatio 154. 155
Calor febrilis, quid 17
Cancrorum aqua pro ethicis 73
Capiplenium 8
Caput per quas vias expurgetur 49
Capitis dolor quid 90
Capitis doloris cauſſæ, & curatio 98
Capitis profluuia quot 167
Caput, origo omnium morborum 167. 168
Caro in peſte non conuenit 93
Cauſſa febris ex animi curis quomodo cognoſcitur 69
Cauteria 43
Cauteria in quibus affectibus conueniant 43. 44
Cauteria in quibus partibus fiant 44
Cauteria parti imbecillæ non applicanda 44. 45
Cauteria in commiſſuris applicita 45
Cauteria in extenuatis damnantur 46

Caute-

Cauteria in hydrope commoda 46
Cauteria in hydrope in quo loco fiant 46
Celiaca paſſio quid 148
Cholera ſigna, cauſſa, & curatio 136
Cibus intépeſtiuè exhibitus, quid 10
Cibus, opportunè adhibitus, quid 10. 55
Cibus longe ab acceſſione exhibendus 112
Cibus poſt medicamentum in minori copia exhibendus 33
Cibus in quartana quando exhibendus 84
Cibus in quotidiana quando dandus 79. 80
Cibus in quotidiana qualis ſit 80
Cibus in peſte qui conueniat 93
Cibus in lue Callica qui 95
Clyſterorum vſus vnde emanauit 32
Clyſteriorum adminiſtratio tuta 32
Clyſteres quid præſtent 33
Clyſteres ex quibus parentur 33
Clyſteres ex oleo 33
Clyſteres quo modo inijciendi 33. 34. 35
Clyſteriorum frequentia, quid 35
Clyſteres acres in affectu hepatis 137
Clyſteris vſus in affectu lienis 142
Clyſteres non ſunt multiplicandi in colico 35
Clyſteres calidi quid 145. 146
Clyſteres in inteſtinorum morbis 148. 149
Coctio humorum quo tempore fiat 16
Cochleare pro delirantibus 102
Colicus dolor qui 143. 144
Colici doloris a nephritico differentia 143. 144
Colici doloris cauſſa, & curatio 144
Collyria pro oculis qualia 185
Concoctio a quo fiat 51
Concoctio ex quo cognoſcitur 59
Concoctio humorum euacuationem præcedat 67
Conſuetudo ſeruanda 11
Conſumptum quo modo paretur 93
Continui affectus quam rationem medendi requirant 12
Contuſum carnium quãdo prohibeatur 18. 87
Conualeſcentes quare in recidiuam incidant 7
Conualeſcentes quomodo regẽdi 170
Conualeſcentium victus 170
Conuulſio 105
Cor omniũ partium nobiliſſima 119
Cordis tremor 129
Criſis quid ſit 58
Criſis nomine quid intelligat Hip. 58
Criſis mala, ex quibus ſignis cognoſcitur 59
Criſes veræ in quibus morbis appareant 60
Criticorum iudicia peruertuntur Medicorum, vel Aſſiſtentium errore 61
Cucurbitularum genera 23
Cucurbitularum applicandarũ cauſſa 24
Cucurbitulæ ſine inciſione quare applicentur 34
Cucurbitulæ, vt facile euellãtur 34
Cucurbitula magna in deſperata angina 128
Cucurbitula in pleuritide 122
Cucurbitula magna tanquam incantamentum in colico dolore 145
Cucurbitula applicatio in ſputo ſanguinis 126
Cucurbitula in cordis dolore 168

Cucur-

Cucurbitulæ ſub mammis in fluore menſtruorum 158
Curatio a mercede inchoanda 5
Curatio febris in animi curis 70

D

Decoctum ligni guaiaci in cibis aſſumptum 131
Dentis doloris curatio 128
Diabetes quid 152
Dies decretorij qui 60.61
Dies ex quibus conſtent 61
Diuretica ratione medicamenti ſunt capienda
Dolores unde 40
Dolor eſt leniendus 41
Dolor capitis 58
Dolor capitis diuturnus 58
Dolores imparibus diebus augentur 120
Domus ægri quibus paretur 8

E

Eboris tabella in vomitu 131
Elleborum quare inſanientibus proſit 110
Ephimera feb. cauſſa 98
Epilepſiæ curatio 107
Epithemata cum ſpeciebus calida cordi æſtuanti applicita damnantur 41.42
Epithemata idonea æſtuanti cordi qua 42
Epithemata in cordis palpitatione 129
Ethica, cum cognoſcitur, difficile curatur 71
Ethica febris curatio 71.72
Euacuatio per epicraſim 51.22
Euacuatio in quartana in quo die fiat 83
Eunuchi 168
Exanthemata 88
Exercitatio qualis 100
Exercitatio lienoſis commoda 143
Exercitatio in oculorum affectibus 115

F

Febris tertianæ cauſſa, & ſigna 73.74
Feb. ex nimio motu curatio 69
Feb. ex deſtillatione a capite 70
Feb. ex bubone 70
Feb. quartanæ ſigna, cauſſa, & curatio 82.83
Feb. quartana quos corripit 82
Feb. quartanæ declinatio ex quibus cognoſcitur 82
Feb. continua ex quibus oriatur 85
Feb. continuæ ſigna, & curatio 85
Feb. continua, qui corripiantur 85
Finis Medici, qui eſſe debet 5
Fomenta adhibita corpori impuro nocent 39
Fomenta ſicca quando conueniant 121
Fotus quando fiant 42
Fotus quando conueniant in pleuritide 120
Fotus nimia caliditate in principio careant 121
Fotus in inflammatione pulmonum 121
Fotus in ventriculi debilitate 135. 136
Frequentia cucurbitularum 24
Frigidis affectibus potiones actu calidæ exhibeantur 38
Frigida actu in oris affectu fugienda

giend a 118

G

GAlli ius aſmaticis 125
Galli ius præparatum in palpitatione cordis 129
Gargariſmata ex lacte 118
Gargariſmata in agnina 117
Græcorum opinio in fotu hepatis 136

H

HEpar ob quas cauſſas facile obſtruat 135
Hepar, humorum fons 135. 136
Hepatis ala dextra cooperit ventriculum 134
Hepatis morbi, qui, & quot 135
Hepatis inflammatio 135
Hepatis dolor, ſi non ſedetur, quid agendum 136
Hepatis obſtructio 137
Hippocrates, naturæ motus indagator 60
Hirudines, quales eligi debeant 27
Hirudines, quo modo conſeruentur 27
Hirudines in affectu melancholico 28
Hydropis genera 139
Hydropis curatio 139
Hydropicorum ſectio 140
Hypoſariæ caußa 140
Hordeum, quale 15
Hoßpitia publica quare ſunt comparata 54

I

ICteritiæ nomen 138
Icteritia laborans 138
Icterici bilares contineantur 138
Ignis in capite adhibitus ante euacuationem damnatur 46
Ignis in peſte ex quibus paretur 92
Ignis in commiſſura adhibitus in ſopore 104
Ignis mortuus in capite damnatur 44
Ignis addit robur parti 44
Ingreßus Medici, & Aſſiſtentis ad ægrum 7
Incubus 106
Inſaniæ differentia 110
Inteſtina receptacula omnium humorum 38
Inteſtinorum dolores periculoſi 143
Inteſtinorum inflammatio 149. 150
Inteſtinorum vlcus 149
Inuſtiones, quibus partibus ſiant 48
Iuſculum alteratum 17
Iuſculum actu frigidum in tertiana adhibendum 73
Iuſiurandum Hippocratis 10

L

LAc in inflãmatione oculorũ 112
Lac caprinum in phthiſi 118
Lactis vſus in debilitate ventriculi 135
Lac ethicis conueniens 72
Lactis exhibendi condiciones 72
Lanceoli Chirurgorum 20
Lien calidis recreatur 142
Lienis curatio 142
Lienteria quid ſit 147
Lienteria cauſſa, et curatio 147
Ligatura poſt ſanguinem mißum 21
Ligni guaiaci decoctum in morbo Gallico 94
Ligni decoctum duplex 94
Lintea, quibus vtitur æger, polita 8
Lintea, & veſtes in peſte, quo modo teneantur 92
Localia in ſanguinis fluore 65

Locus, in quo decoctum guaiaci ſumitur, qualis 95
Locus, in quo hirudines applicantur, qualis 27

M

Mæror in morbis longis 73
Marzapanes in feb. damnantur 14
Maſtix permanſa, quid 134
Medendi potiſſima ratio 2
Medicamenta pro calculo atterendo vino ſunt admiſcenda 156
Medicamenta alterantia in vigore morbi exhibentur 38
Medicamenta opportune adhibita, quid 39
Medicamenta localia ante totius euacuationẽ non applicanda 40
Medicamenta fortia in oculorum affectibus 112
Medicamenta in pleuritide 120
Medicamenta ſæpe mẽbra lædunt 63
Medicamenti exhibendi tẽpus 31.52
Medicamento leui exhibito, nec dormiendum, nec edendum 31
Medicamentum, quo morbi tempore ſit exhibendum 50.51
Medicamentum, quare in fine morbi exhibeatur 51
Medicamentum ne euomatur 31
Medicamentum, ſi nimis ſoluat, quid agendum 31
Medici habitus 5
Medici mores 5
Medici naturæ veſtigia inſecuti 37
Medici nimis religioſi in exhibendo medicamento 50
Medicina facultas, quibus conſtet 3
Medicorum veterum ſtudia 1
Medicorum veterum alendi ratio 11
Medicorum recentiorum error 17
Medicorum temeritas in exhibendis medicamentis 50
Medicus naturæ miniſter 3
Medicus, quibus rebus ſit præditus 4
Medicus in cognitione cauſſæ occupatus 69
Medicus iudicio, & experientia polleat 50
Melancholici affectus cauſſæ 107
Melancholici, qui fiant 107.108
Melancholiæ ſpecies 107
Menſæ apparatus 11
Menſtrua quando mulieribus incipiant 157
Menſtrua, quot diebus perdurẽt 157
Menſtrua quæ numquam apparuerũt, non ſunt prouocanda 162
Menſtrua quo tempore mulieribus deficiant 161
Menſtrua quibus deficiant, & quando 163.164
Menſtrua cientia, quæ 163.164
Menſtruorum ſuppeſſionis cauſſa 161
Menſtruorum nimius fluor 157
Menſtruorum differentiæ 157
Menſtruorũ fluoris curatio 157.158
Menſtruorum fluor à partu 160
Menſtruorum ſuppreſſionis cauſſa, et curatio 163.164
Mentæ ſuccus ad vomitum 131
Miniſtrorum ægri officium 8
Morbi noui in dies deteguntur 1.2
Morbi continui 12
Morbi ex inanitione, quo modo ſanentur 19
Morbi a repletione noſtris temporibus fiunt 19
Morbi prauitas ſæpe incognita 50
Morbi a quo trahant originem 52

Morbi, quibus viis finiantur 64
Morbi magnitudo, quid ſuadeat 20
Morbis diuturnis, qui victus 13
Morborum a repletione ſanatio 19
Morbus quando dicitur magnus 20
Morbus Gallicus vnde originem 93
Morbus Gallicus in concubitu acquiritur 94
Morbi Gallici natura, ſigna, & curatio 94.95
Motus in alui fluore damnatur 151
Motus in articulari affectu, quando conuenit 169
Mulierum in cibo exhibendo errores 12
Mulier, quo modo in collocetur, quando infuſum in vterũ iniicitur 158

N

Nappæ menſæ albæ 11
Narcolica quãdo exhibẽda 145
Naſchalia pro virginibus 164
Naſipurgiorum frequens vſus nocet oculis 49
Naſipurgia varia 49
Naſipurgia ad quid inſtituta 48
Naſipurgia in ſopore 104
Natura deuia, quo egeat 6
Natura noſtra labilis 10
Natura ægri ſpectanda 14
Natura varij motus 49
Natura humana vis 58
Natura certis diebus aggreditur morbum 60
Natura diuerſi motus 67
Naturæ celebres motus 67
Natura ſpectanda in ſanguine mittendo 22
Nauſea in tertiana 74
Nauſæ ſigna 31
Neceſſaria requiſita ad cibum 11
Nominis cognitio 2

O

Oculi in vomendo turgent 63
Oculorum affectus 43
Oculorum affectus per cauteria magis tolluntur 43
Oculorum ægritudines Medicum requirunt exercitatum 111
Oculorum præſtantia 111
Odorata capiti infenſa 8
Odores in peſte conueniunt 92
Officium Medici 6
Officium Aſſiſtentis 6
Officium Aſſiſtentis diuerſum in mulierum cura 9
Ophthalmia, quid 112
Opiata cauenda 91
Opiata in auris dolore 116
Opinio Matthæi in ſanguine mittendo 98
Oris affectus 117
Os abluere conuenit in feb. 75
Os ſæpe colluendum, cũ exſiccatur 14
Ouorum vitella 18
Oxyradini vſus improbatur 42
Oxyradinum in diaria, & æſtu prohibetur 69

P

Palpitationes vnde oriantur 129
Palpitationis cordis cauſſa 129
Panis ex lolio nocet neruis 107
Paralyſis 105
Partes pectoris patientes in paralyſi 105.106
Partes principes debilitantur in morbis longis 43
Partes, quibus cucurbitulæ applicantur 24.25

Pectoris affectus 119.120
Pedibus frigentibus non eſt dandus cibus 17
Periuplemonia 123
Peſſaria in fluore menſtruorum 158
Peſſaria ad eliciendos menſes 164
Peſtis miniſtri, quo modo ſe tueantur 92
Peſtis, quo modo curatur 92
Pharmacopœorum error in ptiſana paranda 16
Phrenitis, quid ſit 101
Phrenetici in quo loco collocētur 101
Phthiſis ſigna 128
Pituita naturalis, non autem præter naturam, poteſt in ſanguinem conuerti 80
Pleuritidis ſigna 120
Pleuritis aliquando per vrinam, & inferiorem ventrem ſanatur 122
Podagræ curatio 168
Portulaca, in ſanguinis ſputo 127
Potus, in paralyſi 105
Potus in febre continua 88
Potiones in calidis affectibus actu frigida 38
Potus quantitas 18
Potus interdiu prohibendus 14
Præfocatio vteri, & eius curatio 166
Præfocatio vteri ex ſemine retento 166
Ptiſana, quid ſit 15
Ptiſana tota noſtris temporibus 15
Ptiſana, quibus morbis conueniat 17
Ptiſana ante cōmunes euacuationes non conuenit 76
Ptiſanæ parandæ ratio 15
Ptiſanæ vires 16.17
Ptiſanæ vſus, in quibus damnatur 16
Pueri non ſunt phlebotomandi, ex Galeno 20
Pulmonis vlcus 128
Pulmones, quid præſtent in corpore 119
Pulmonum inflammatio a pleuritide in quo differat 123
Purgatio ante ſumptionem ligni conuenit 94
Pyra cocta cum zaccharo in initio morbi, quid 14

Q

Quantitas clyſteriorum 35
Quartana in feb. moderate agendum 81
Quotidiana raro per criſim ſoluitur pag. 81

R

Recidiua quare difficilis curatu pag. 170
Recidiuæ periculum 170.171
Renes ad quid a natura ſint comparati 131
Repellentia non ſunt applicanda partibus nobilibus 41
Rigor in tertiana 74
Ricotta nuncupata ex papauere 91

S

Sanguinis fluor e naribus ſuperuacaneus 95
Sanguis mittendus quando, & quæ debent parari ante 20
Sanguis ex hirudinibus quo modo debeat colligi 27
Sanguinis in tertiana mittendi requiſita 76
Sanguis vbi eſt in toto cacochimia in minima quantitate mittatur 79
Sanguis in quartana quando mitti debet 82
Sanguis in feb. continua ſtatim mittatur 86

San-

Sãguinis fluoris cauſſa, & curatio 65
Sanguinis miſſio in ſopore quando conuenit 104
Sanguinis miſſio in oculorum inflammatione 112
Sanguinis miſſio in pleuritide 120
Sanguinis fluxus quiete ſanatur 66
Sanguinis ſputum 126
Sanguinis ſputi curatio, & differentię 126
Sãguinis miſſio in ſputo ſanguinis 126
Sanguinis miſſio in plures vices partietur 135
Sanguis in affectu lienis, ex qua vena mittatur 141.142
Sanguinis mictus 153
Sanguinis fluoris cauſsa 153.154
Sanguinis miſſio in calculo quando conuenit 155
Saxifragus decoctum 134
Scopi mittendi ſanguinis 19.20
Semina melonum 16
Sena decoctum in quartana 83
Senes profluuia facile recipiunt 125
Seri parandi ratio 109
Sermones primi Aſſiſtentis cum ęgro, qui 7
Serum in affectu melancholico 109
Septimus dies principem locum obtinet 60
Seſſiones ad menſtrua cienda 165
Setones, quibus affectibus fiant 44
Sextus dies, a Galeno tyrannus 61
Singultus 132
Singultus cauſsa, & curatio 132
Singultus quando malus 132
Sitis curatio in febre 91
Somnus cum ſumitur, medicamẽtum non conuenit 76
Somnus vnde fiat 79
Somnus naturalis ex quo fiat 90
Somni pręter naturam curatio 90
Somni prouocatio in delirio 101
Soporiferi affectus 103
Sopor, quare cum febre coniungatur pag. 105
Soporis curatio 145
Sorbitio in medijs euacuationibus nõ exhibenda 31
Sorbitiones pro febricitantibus inuentę 17.18
Sorbitiones ex quibus fiant 18
Sorbitiones in feb. actu frigida 27.28
Sputum in pulmone retentũ quid 124
Status morbi, ex quo cognoſcitur 59
Stercoribus in ventre, duratis antequam emolliantur, non exhibendũ medicamentum 53
Sternutamenta in ſopore 104
Sternutatoria 47
Sternutamenta cerebri motus 47.48
Sternutatio capite excalefacto 48
Sternutatoria ad quid iuuent 48
Stibiũ quare inſanientibus proſit 110
Stillicidia in capite quo modo fiãt 99
Stillicidia in delirio 102
Stillicidium in ventriculi debilitate pag. 133.134
Stufę, in paralyſi 106
Sudore qui morbi ſoluantur 66
Sudor quo modo prouocetur 66.95
Sudores mali, qui 66
Suffuſio ex quibus fiat 115
Suffuſionum ſpecies 115
Suffuſio, quę incurabilis 115
Suffitus aromatum pro menſibus ciendis 164
Suffitus, quo modo paretur 164

T

TAli ſcarificatio quando conuenit 162

Temperantia in cibo capiendo 11
Temperantia antiquorum 11
Tempora morborum 13
Tempus idoneũ ptiſanæ exhibẽda 17
Tempus exhibendæ ſorbitionis 17
Tempus in ſanguine mittendo ſpectandum 21
Tertianæ curatio 74
Teſtudinis ſanguinis vnguentum pro ethicis 73
Teneſmus, quid ſit, & eius curatio 151
Thorax quid ſit 19
Tina ad menſtrua prolicienda 165
Tuſſis quid ſit, & eius curatio 124
Tympanitis cauſa, & curatio 139

V

Vaſa, quibus æger vtitur, quæ 11
Vena ſecanda, quæ ſint 21
Vena ſecãda in articulari affectu 168
Vena tali in mulieribus quando ſecanda 163
Vena frontis in affectu melancholico 109
Vena ſecanda in melancholia 109
Venæ ſectio, quibus conueniat 19
Venus conualeſcentibus nocua 179
Ventriculus ad quid inſtitutus 62
Ventriculi facultas a quibus lędit 62
Ventriculi affectus, qui 130
Ventriculi dolor 131
Ventriculi debilitas 132
Ventriculo imbecillo, quæ iuuent 134
Vertiginoſis quæ fugienda 100
Vertigo, & eius curatio. 100
Veſicatoria, quibus locis applicentur pag. 46.47
Veſicatoria, quandiu in parte retineantur 47
Veſictoria in vrina ſuppreſsione 47
Veſicatoria in ſopore 104
Victus ratio in ægris 1
Victus tenuiſsimus in grauibus morbis 10.11
Victus tenuis, quid ſignificet 11
Victus ratio in affectu neruorum 105
Victus in pleuritide 123
Victus antiquorum 11
Victus in palpitatione cordis 129
Victus in affectu hepatis 136
Victus in alui fluore 151
Victus in menſtruorum fluore 159
Victus in mentibus ſuppreſſis 165
Victus in podagra 168
Vigilia quando conuenit 128
Vigilia in febre quid 90
Vigil æger quo modo contineatur 8
Vigilia exſiccat 106
Vinum in animi deliquio etiam cum feb. conuenit 89
Vinum quo modo concedendum in dolore capitis 98
Vini potus in oculorum affectu 113
Vini potus, quid 113
Vinum tuſſientibus inconueniens 124
Vinum in pleuritide quando conuenit pag. 132
Vinum in dolore colico 146
Virtus cum morbi magnitudine conferenda 13
Viſus debilitas 114
Viſum corroborantia 114
Vomendi frequentia quid 63
Vomitus quid præſtet 62.63
Vomitus quando prouocandus 62.63
Vomitus in debili capite dãnatur 63
Vomitui qui ſint inepti, neq; cogẽdi 63
Vomitoria vehementia cauenda 63
Vomitoria in magna copia exhibenda 63
Vomitũ ciere in acceſſione cõuenit 63

Vomi-

Vomitus in tertiana 74
Vomitus in feb. tertiana nota 78
Vrina Medico oſtendenda, per horam ſit aſſeruata 8
Vrina rubea in feb. quartana quid 79
Vulnus, cum vena ſecatur, quando exiguum eſſe debet. 76

Z

Zaccharum, in quibus damnatur. 16

FINE

Errores ſic corrigito.

pag. 10. lin. 4. thaſo. 11. 8. debeamus. 13. 18. nutriamus. 31. auctorum. 13: 10. lactucam. 16. 40. offerenda. 52. 40. aliqua. 54. 10. ſuppeditantur. 69. 3. & in aliqua. 71. 10. eriſipelate. 73. 26. diuturnitatem. 81. 32. vomitus. 82. 1. drag. 83. 29. drag. ij. 102. 12. damnarunt. 122. 31. alui. 123. 6. vim. 7. cum. 137. 38. ſanguificandi. 139. 25. dignoſcatur. 148. 23. carnibus. 156. 17. terebentinam. 159. 34. gratis. 166. 13. muliere communi auræ reſtituta.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

RESTAURO DEL LIBRO
di LELLI MARIO